AUTHOR:

WENGATZ, CARL

TITLE:

DE PLAVTI SENARORVM IMABICORVM ...

PLACE:

MARPVRGI CATTORVM

DATE:

1910

Master Negative #

92-80664-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PD
Z8
v.5

Wengatz, Carl, 1886-
De Plavti senariorvm iambicorvm compositione artificiosiore, dissertatio...qvam...scripsit Carolvs Wengatz... Marpvrgi Cattorvm, Typis Roberti Noske Bornensis, 1910.
106 p. 23 cm.

Thesis. Marburg.

Vol. of theses.

67670

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PLAVTI SENARIORVM IAMBICORVM COMPOSITIONE ARTIFICIOSIORE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLVS WENGATZ
FRIEDLANDENSIS MEGALOPOLITANVS

MARPVRGI CATTORVM MCMX
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

Dissertatio referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine probata die XXII. mensis Februarii anni MCMX

Parentibus optimis

Praefatio.

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen iambeis, cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi:

dicit Horatius in carmine, quod inscribitur *de arte poetica*, tractans iambicum metrum (vv. 251 sqq.). Haec verba, ut Birt demonstravit,[1] pertinent ad versus senarios Catulli, qui in quarto carmine, quod celebrat phaselum illum, non alios iambos conformavit nisi puros. „Senos igitur ictus primus ad extremum similis sibi reddidit". Poeta pergit:

non ita pridem,
Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter,

quae verba pronuntians de *iambis* suis ipsius cogitat, ut v. d. ille eodem loco exposuit. Nam si perquirimus illa carmina, quae poeta *iambos*, nos inscribimus *Epodon liber*, spondeos „de secunda et quarta sede cedere" videmus.

Tum demum Horatius venit ad senarios veterum poetarum scaenicorum atque dicit:

Hic et in Acci
Nobilibus trimetris adparet rarus et Enni
In scaenam missos cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

Quibus verbis magna cum ironia dictis scilicet et Accii et Ennii artem metricam poeta vituperat. Nam uterque pro senariis multis, quos adhibuerunt, perpaucos habet, qui imitentur Graecam artem conformandi iambicos trimetros, ut etiam nos ex fragmentis videmus, quae tradita sunt.[2] Accius autem non tam multos spondeos iniecit senariis

---

[1]) cf. Philologus 63 p. 455 sq.
[2]) Accius fere 1 : 4, 5, Ennius fere 1 : 3, 3.

suis quam Ennius, imprimis ille rarius eis utitur quam hic et in secunda et in quarta sede.

Plautum poetam commemorat Horatius nullis aliis versibus nisi his 270 sqq.:

> At vestri proavi Plautinos et numeros et
> Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
> Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
> Scimus inurbanum lepido seponere dicto
> Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Magna igitur cum ironia Horatius de hoc poeta sua aetate clarissimo loquitur. Vituperat „numeros", i. e. structuram versuum, atque „sales", i. e. genus inurbanum dicendi. Certe, ut e versibus, quos antea tractavi, elucet, etiam hoc ei crimini dat, quod permultos spondeos adhibebat. Neque enim Plautus in versibus conficiendis distinguit inter pedes primos tertios quintos atque secundos quartos. Sextus scilitet pes nobis neglegendus est, in quo positionem, i. e. thesin semper brevem esse opus est. Quod autem et a Plauto et a ceteris scaenicis poetis omnibus sedibus — praeter sextam scilicet — spondei admittuntur, longitudines vero in duas breves syllabas etiam apud Graecos poetas dissolvi possunt, multo plures versus inveniuntur, qui hunc vel illum pedem dissolutum habeant in Romanorum poetarum senariis quam in Graecorum trimetris. In 7044 versibus senariis fabularum Plautinarum — neglexi prologos, qui habent eandem fere rationem — inveni 2111, qui praebent nullam solutionem, i. e. 1:3,337.[1]) Itaque hac re commotus sum, ut perquiram fabulas Plautinas, quibus locis atque quibus condicionibus poeta non admiserit dissolutos versus, admiserit indissolutos. Nam multo facilius est scilicet eos conformare, quibus permultae licentiae insunt, quam qui constant ex puris iambis. Hi sunt artificiosissimi atque summum studium postulant.

Sed antequam venio ad rem ipsam, tractandae sunt nonnullae quaestiones, de quibus quid statuamus, maxime interest.

1. De correptione.

Neminem esse puto, qui neget Plautum — ceteros poetas in hac tractatione neglegere possum — multa vocabula, quae dicuntur iambica, i. e. quae constant ex una brevi et ex una longa syllaba, pyrrhichice metiri. Altera igitur syllaba corripitur.[2]) Sed ut Klotz

[1]) Numeravi secundum leges et correptionis ét synizesis et hiatus, quas postea exponam.

[2]) cf. H. Leppermann: „De correptione vocabulorum iambicorum, quae apud Plautum in senariis atque septenariis iambicis et trochaicis inveniuntur" (Monasterii Guestph. a. 1890). Collegit voces quae corripiuntur iambicas.

demonstravit, has duas brevitates uni elevationi vel positioni[1]) inesse opus est. Porro nihil interest, utrum syllaba altera, quae corripitur, natura an positione longa sit. Assentiri non possum Klotzio dicenti causam esse correptionis metricam (metrisches Positionskürzungsgesetz p. 41). Mea quidem sententia declarare hanc licentiam ex vulgari pronuntiatione melius est.[2]) *Accentus positus erat aut in brevi ipsa syllaba, ut altera longa in pronuntiatione magnopere neglegeretur, aut in ea, quae sequitur, ut neutra ictum haberet.* *Atqui difficillimum est post brevem syllabam acutam enuntiare longam, qua de causa brevis breviat longam.*[3]) *Et syllabae, quae omni ictu carent, facillime deminuuntur in pronuntiando, etiamsi longae sunt.* Hoc modo etiam ea, quae infra tractabo, intellegi posse existimo. Nam haec lex non in verba iambica conclusa erat. Etiam verba trisyllaba, quorum ultima syllaba elisione deleta est, ut restet iambicum, pyrrhichice metitur poeta.[4]) Porro perferebatur illa regula in duo verba monosyllaba. Minime interest, utrum revera monosyllaba sint per se an elisione facta an altera pars initium vocis compositae sit.[5]) Ab omnibus fere vv. dd. hoc conceditur. Sed quomodo se habent verba polysyllaba, quae a iambo incipiunt? Klotz etiam horum alteram syllabam corripi posse demonstravit, si verba sunt quattuor vel plurium syllabarum et tertia syllaba acuitur (p. 87 sqq.).[6]) Restat quaestio, quo modo Plautus tractaverit verba bacchiaca et diiambica, in quibus nos quidem alteram syllabam acuimus. Klotz quamquam concedit non omnes locos huius modi tolli posse, negavit haec verba corripi atque alio modo versus, qui restant, declarare conatus est. Saepe ostendit alteram illam syllabam ne vulgo quidem ictum habuisse, propterea quia verbum encliticum aliquod accentum mutavisset, ut in „voluptás mea", „dedistin(e)".[7]) Sed etiamsi hanc pronuntiationem concedimus, non omnes versus metiri possumus. Mea quidem sententia habemus his in verbis veterem legem pronuntiationis. *Non altera syllaba a populo acuebatur, sed prima, i. e. accentus expiratorius,* cuius vis antiquis temporibus non tam gravis erat quam musicalis, *in prisco sermone Romanorum quam longissime a fine aberat.*[8]) Concedendum est scilicet etiam alteram syllabam

[1]) cf. R. Klotz: „Grundzüge altrömischer Metrik" (Leipzig 1890) p. 39 sqq.

[2]) cf. Th. Birt: mus. Rhen. 51 p. 253.

[3]) cf. Robert S. Radford: „Transaktions and proceedings of the American Philological Association" XXXVI (1905) p. 176 sq.

[4]) cf. Klotz l. l. p. 81 sqq.

[5]) cf. Klotz l. l. p. 68 sqq.

[6]) cf. etiam Brix-Niemeyer: praef. Trin. p. 17 sq. (Lpzg. 1907[5]).

[7]) cf. etiam Franz Skutsch: „Satura Viadrina" (Vratislaw. 1896) p. 132.

[8]) cf. W. M. Lindsay: Archiv f. lat. Lexikographie VII (1892) p. 596 sq., qui

illis temporibus interdum ictum habuisse. Plautus nesciebat, utra pronuntiatio verior esset, atque quoniam utramque audiebat, modo hanc modo illam adhibebat.

Ioannes Esch egit de his ipsis correptionibus in opusculo, quod inscribitur: *De Plauti correptione secundae syllabae vocabulorum polysyllaborum, quae mensura iambica incipiunt* (Monasterii Guestph. a. 1897). Cui non omni ex parte assentiri possum. Primum affert locos, ubi, si codices sequimur, correptio secundae syllabae probanda est. Tum eos corrigere conatur. Sed etiamsi rarissime pro locis non correptis inveniuntur versus, in quibus hoc vel illud verbum correptum est, tamen numerus exemplorum tantus est, ut se ipsa defendant. Nam mea quidem sententia, ubicumque fieri potest, nos codices sequi necesse est. Accedit, quod Plauti tempore leges metricae non erant tam severae quam posterioris aetatis. Sed paullatim sanciebantur. — Porro auctor non omnibus locis verba trium syllabarum seiungit ab eis, quae plus tres habent, quamquam ipse confitetur hoc fieri opus esse (p. 9). Nam ut exemplo utar, verba *amatoris, amasios, amicissimam* corripi non licere demonstrat praeter alias etiam hac de causa, quod „verba *amicus, amator* sim. sescenties non corripiantur apud Plautum" (p. 102). Immo vero fieri potest, ut correptio alterius syllabae ex illis longioribus perlata sit ad haec trisyllaba vocabula. — Porro ita procedit, ut uno in capite tractet vocabula, et quae ictum habent in altera syllaba et quae in tertia. Quid vero? Si conceditur *ferentarium, sedentarii, magistratus* sim. corripi posse (p. 98 sqq.), qua de causa negatur hoc fieri posse in verbis *sagittatus, venustissima, cavillationes, iuventutis* sim.? Mea quidem sententia causa non est, cur haec verba impari modo tractentur.

Tum permulti versus exstant, in quibus etiam verba trochaica (— ◡), quin etiam spondiaca (— —), quamvis perpauca, pyrrhichice adhibita sunt. Sed plurima eius generis inveniuntur in prima sede versus, quae etiam in Graecorum arte metrica saepissime a legibus discedebat. Praeterea plerumque coniunctiones vel pronomina sunt, quae hoc modo corripiuntur, i. e. vocabula, quae ipsa ictu gravi carent in enuntiato, ut Birt demonstravit.[1]) Haec igitur est causa

---

tractat verba quattuor syllabarum et quem sequitur Alex W. Ahlberg: „De proceleusmaticis iamborum trochaeorumque antiquae scaenicae poesis latinae studia metrica et prosodiaca III" (Lundae 1900) p. 40 et p. 43 sqq. Porro Franz Skutsch: „Forschungen zur lateinischen Grammatik und Metrik I: Plautinisches und Romanisches, Studien zur Plautinischen Prosodie" (Leipzig 1902), qui numeralium *viginti, triginta* pronuntiationis causam esse orationem continentem putat, et Hermann Bergfeld: „De versu Saturnio" (Marpurgi Cattorum 1909) p. 16 sqq. et p. 45 sq.

[1]) Mus. Rhen. 51 p. 240 sqq. et 52 supplem. p. 170 sqq. porro Klotz: l. l. p. 45 sqq.

breviationis. Neque vero opus esse mihi videtur syncopen accipere in his vocabulis, ut Skutsch[1]) et Ahlberg (p. 109 sq.) putant. Optime hanc licentiam declaravit mea quidem sententia atque argumenta Skutschii repudiavit Radford,[2]) qui sequens „rhytmicos" illos vel „musicos" in quattuor genera syllabas distinguit:

1. longis longiores,
2. longas,
3. breves,
4. breves brevioribus[3])

atque putat primam vocis *unde*, ut exemplo utar, syllabam $1^1/_2$ moras continere, ultimam $^2/_3$, i. e. totum verbum $2^1/_3$, ut pyrrhichice tractari potuerit.

2. De synizesi.

Usque adhuc tractavimus voces iambicas sive iambicas partes vocabulorum polysyllaborum correptas atque causam esse correptionis pronuntiationem populi vidimus. Sed etiam haec paragraphus agit de vulgari pronuntiatione. Nam illa quae dicitur synizesis nullo alio modo declarari potest nisi ex sermone cotidiano. W. Corssen[4]) descripsit eam hoc modo:

> „Das Zusammensprechen sich unmittelbar berührender Vocale eines Wortes zu einer metrischen Silbe im Verse, vermöge dessen mindestens der eine der beiden Vokale insoweit eine Einbuße seiner Tondauer erleidet, daß er mittelzeitig oder verschwindend kurz wird".

Sed antequam leges huius licentiae metricae constituimus, quaerendum est, num opus sit synizesin accipere. Nam complures vv. dd., ut C. F. W. Müller,[5]) Havet, Skutsch[6]) in eam pugnaverunt.

Primum occurrunt Propertii versus V 7, 7—8, quos codex Neapolitanus sive Gudianus, qui est optimus atque antiquissimus, sic legit:

Hosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit,

---

[1]) „Forschungen zur lat. Gramm. u. Metrik" I et *ΓΕΡΑΣ* p. 111 sqq.

[2]) Trans. Am. Philol. Assoc. XXXVI p. 159 sqq.

[3]) cf. Marius Victorinus I 8: „nam musici non omnes inter se longas aut breves pari mensura consistere, si quidem et brevi breviorem et longa longiorem dicant posse syllabam fieri; metrici autem... neque brevi breviorem aut longa longiorem, quam natura in syllabarum enuntiatione protulit, posse aliquam reperiri".

[4]) „Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache" (Leipzig 1870[2]) II p. 748.

[5]) cf. „Plautinische Prosodie" (Berlin 1869) p. 456 sqq.

[6]) cf. „Satura Viadrina" p. 122 sqq. et *ΓΕΡΑΣ*, Abhandlungen zur indogermanischen Sprachgeschichte, Aug. Fick gewidmet (Göttingen 1903) p. 108 sqq.

cum ceteri praebeant bis *hosdem*. Sed *hosdem* barbarum est. Propertius dicere vult eam, quae ei in somnio visa erat, simillimam fuisse Cynthiae, amatae suae, „eosdem capillos habuisse, eosdem oculos.“ Scriptores posterioris aetatis existimantes *eosdem* bisyllabum non esse *hosdem* emendaverunt. Accedit, quod in posteriore latinitate usus pronominum *is* et *hic* plane perturbatus erat atque saepius *hisdem* ponebatur pro *eisdem*.[1]) Porro ex saturarum libris Lucilii unus versus servatus est, in quo forma eiusdem pronominis synizesi legatur opus est:

Hunc catapiratem puer eodem deferat unctum. v. 1191 [2])

Marx mea quidem sententia recte sic scripsit. Tum servavit Cicero (de off. I 38) Ennii versum hunc:

Eorundem libertati me parcere certum est. Ann. VI 200 [3])

Catullus fecit hunc versum:

Eripere ei noli, multo quod carius illi, LXXXII, 3

in quo *ei* monosyllabum sit opus est.

Omnibus his in versibus syllaba, quae per synizesin legenda est, in elevatione hexametri invenitur, quae corripi non potest. Quos locos ne Skutsch quidem removet, qui dicit (*ΓΕΡΑΣ* p. 147):

„daß *eosdem* (zweisilbig), *eorundem* (dreisilbig) im Hexameter vorkommt, ist nicht abzuleugnen“.

Accedit quod Festus dicit (p. 325):

„*Sas* Verrius putat significare *eas* teste Ennio, qui dicat in l. I:

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas,

cum *suas* magis videatur significare“.

Idem nobis servavit etiam hunc Ennii versum:

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit, Ann. III 149

quem imitatus est Lucretius hoc modo:

Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit. III 1025

Atque quoniam Festus „*sos* interdum pro *suos* poni“ dicit, etiam hunc versum hoc loco afferre possumus:

Ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt,
Lucretii I 1022 et V 420

cuius *suo* per synizesin legere melius est quam correpta altera syllaba. Accedunt porro:

Uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt. Lucretii I 306
Caelicolae ⟨hic habitum, vellem⟩ adfuissemus priore. Lucilii 28
In terra fuit, lucifugus, nebulo, id genus sane. Lucilii 468
Conpernem aut varam fuisse Amphitryonis acoetin. Lucilii 542

---

[1]) cf. H. Stengel: „De Iulii Valerii usu pronominum“ (Marpurgi Cattorum 1909) p. 21 sqq. et praecipue p. 31 sq.
[2]) ed. Fr. Marx: „C. Lucilii carmium reliquiae“ (Lipsiae 1904).
[3]) ed. J. Vahlen: „Ennianae poesis reliquiae“ (Lipsiae 1903 [2]).

Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis, Lucilii 91
Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto.

Sed etiamsi ex his exemplis elucet synizesin accipiendam esse in hexametro dactylico, tamen hanc licentiam rei metricae Plautinae concedendam esse non sequitur, sed facile concedendam esse suspicabimur, quoniam illius aetate leges metricae firmae non erant. Hic ego versus iambicos solum senarios afferam et septenarios trochaicos, qui easdem fere leges sequuntur.

Qui improbant synizesin, semper id arguent, quod numquam vocabulum, quod per synizesin legitur, totum absorbetur, si verbum, quod sequitur, a vocali incipit. Sed si permultos locos illos perlegimus, quos C. F. W. Müller [1]) allatos corrigere conatus est, nonne obstupescimus? Atque Skutsch [2]) ipse concedit non omnes versus emendari posse atque admittit synizesin in hoc versu:

Quia pôl meo animo omnis sâpientis, Stich. 39

qui anapaesticus dimeter acatalectus est.

Sed omnes versus exscribere, quos C. F. W. Müller et Skutsch corrigere conati sunt, longum est. Nonnullos ex illo permagno numero eligam, in quibus mea quidem sententia duae vocales elidantur opus est, si codicum lectiones sequimur. Neglegam minus certa exempla. Primum talia afferam, ubi forma pronominis *meus* omnino fere deletur. Concedendum est *m* consonantem restare atque audiri:

Eâm tu despondisti, opinor, meo âvonculo? ‖ Omnem rêm tenes. Aul. 782
Ét capturum spôlia ibi — illum qui meo ero advorsus vênerit. Trin. 724

cf. etiam:

Meusquidem hêrcle numquam fíet. Si sapiês quidem. Trin. 559

De formis vocis *res* idem dicendum est:

Aurum hêrcle auferre vôluere: ei rei operâm dabant. Bacch. 297
Si hoc âdcurassis lêpide quoi rei operâm damus. Pers. 393
Detêrminabo: ei rei êgo finitor fáctus sum. Poen. 49

Contra dativus pronominalis *ei* non totus eliditur, quod factus est ex *ejei*, ut *cui* ex *quojei*.[3])

Tum quaestio oritur, qua de causa rarissime vel potius numquam synizesis reperiatur in ultima sede versuum. Quam mea quidem sententia solvit Radford.[4]) Monet enim Terentium, qui plerumque adhibebat breves formas, ut „cognorim, malo, fac, laudare“ etc. atque multo

---

[1]) Plaut. Pros. p. 457 sqq.
[2]) „Satura Viadrina“ p. 142.
[3]) cf. Th. Birt: Archiv f. lat. Lexicographie XV p. 86.
[4]) Trans. Am. Philol. Assoc. XXXVI p. 165, 195 adn. I, 208.

severior in versibus conficiendis erat, in ultimo pede non veritum esse longis formis uti, ut „spreverim, face, siet“ etc. Causam esse imprimis metricam consuetudinem aut necessitatem. Accedit quod Cicero dicit De oratore III 192:

> „Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror quam superiora, quod in eis maxime perfectio atque absolutio indicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacumque est parte titubatum, in oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique, quae quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur aut aurium satietate“.

Verba igitur in fine et sententiae et versus diligentius componuntur quam reliquis locis.

In hexametro dactylico synizesin concedendam esse nemo erit qui neget. Sed hoc quoque demonstravimus (p. 7 sq.) in iambico senario et trochaico septenario etiam duas vocales elidi. Vocum scilicet *res* et *meus* duae vocales absorbebantur.

Quaestio est nunc, quo modo haec verba pronuntiata sint. Luce clarius est hanc licentiam ex vulgari pronuntiatione oriri. Qua in re praecipue sequor tractationem illam quam hic illic iam commemoravi, Radfordii (Trans. Am. Philol. Assoc. XXXVI p. 158 sqq.). Qui primum distinguit inter synizesin graecae linguae et latinae, tum inter synizesin Vergilianam, quae sit eadem fere ac Graeca, et Plautinam. Porro haec verba ad synizesin non refert: „even(i)at, adven(i)at, mon(u)erim, augur(i)a etc.“ (p. 169), quoniam his in versibus *i* vel *u* omnino deleta sit. Quorum in numero etiam ducendus est:

Fluctuátim ire ad illum. accípite hoc, tege tu et sústine, Afranii 237

quem Nonius (p. 111) nobis servavit sub verbo *fluctuatim*. Denique demit verba, in quibus quoniam syllaba praecedens producitur, vocalis *i* vel *u* consonans fit. Nam repudiat explicationem Ritschelii, qui dicit:[1])

> „Erkenne ich daher jetzt, auf Grund dieser Einsicht, die von Bergk behauptete Aussprache filjo, otjum, dju, djerum usw. so gut wie tvos, svam usw. da, wo sie hingehört, ausdrücklich an, so doch ganz und garnicht die Ausdehnung, die er ihr im Gegensatz zu meinen Beschränkungen zu geben fortfährt. Nur wo das i stammhaft ist (wenngleich zum Teil nur in einer gewissen Periode), wie in dies, scio, mius, dius (= meus, deus = mis, dis), da tritt *Synizese*, richtiger

[1]) Opuscula II p. 601.

> konsonantische Erweiterung zu j, nach freiem Belieben überall ein, also auch im Senar und trochäischen Septenar: so gut wie bei tuos, suam die Erweiterung zu v (= w); wo nicht, wie in filio, otium, ausschließlich in den freieren Versmaßen, den Octonaren, vor allem dem anapästischen als dem freiesten.“

Quem si sequimur, j vel v cum altero consonante vocalem praecedentem producere opus est. Rectius dicit Corssen:[1])

> „Die Synizese in der Versmessung ist verschieden von der Verhärtung gewisser Vokale zu Konsonanten,“ wie i > j, u > v

et

> „Durch Synizese erwächst nur eine zeitweilige metrische Einsilbigkeit“.

Itaque b e v i s v o c a l i s c o a l e s c i t c u m s e q u e n t i l o n g a.[2]) Sed non omnes vocales hoc modo pronuntiari possunt, eae solum, quae quasi semivocales vel potius *semiconsonantes* sunt, i. e. vocales *i u* atque *e*, quae *i* similis est. Habemus igitur, ut supra dixi, eandem causam, quam in lege correptionis iambicae, i. e. pronuntiationem populi indiligentem. Sed haec indiligentia imparem effectum habuit. Nam cum secundum legem correptionis iambicae brevis syllaba vocalem longam, quae sequitur, non breviat, nisi per consonantem ab illa seiungitur, contra per synizesin coalescit illa brevis cum sequenti longa vocali, quia consonans nulla intercedit.[3]) Nam haec licentia concessa est praecipue in verbis iambicis vel in verbis iambica mensura incipientibus.[4]) Multo rarius accidit, ut verbum alterum elidatur, alterum, quod sequitur, a brevi vocali exordiatur, ut „me[o] animo, su[o] aliquem“, etiamsi etiam hoc fieri potest, ut ex exemplis,

[1]) „Über Aussprache, Vokalismus und Betonung“ II p. 745.

[2]) cf. Radford: l. l. p. 171: „The vowels in question have not lost the musical quality by virtue of which they are vowels, and have not degenerated into the consonantal lack of tone. They are vowels in the true sense of a sound that has tone, but they are slurred of faded tones.“ et p. 177: „The language must, of course, in dealing whith each case, follow the line of least resistance, and, in the case of the halfvowels i (e) and u in hiatus, all ancient usage, both linguistic and metrical, proclaims that the least and the simplest modification consists in the slurring of these sounds. Hence the original sequences are modified as follows trough the law of *brevis coalescens*.“

[3]) cf. etiam hanc legem: „vocalis ante vocalem corripitur.“

[4]) cf. Radford: l. l. p. 178: „An iambic sequence of syllables, if initial i. e. if forming a single word or a word-beginning, has the value of a single long, in case the former of the two syllables contains the half-vowels u or i, or the similarly pronounced e, in hiatus.“

quae supra attuli, vidimus.[1]) Ceterum Birt[2]) censet formas pronominis *suus* non per synizesin legendas esse, sed vocalem *u* factam esse consonantem *v* (ut *bis* < *dvis* < *duis*). Qua de causa hos versus:

Nam ílle non potuit quín sermone suo áliquem familiárium — Mil gl. 262

Et is me heredem fécit, quom suom obiít diem — Poen. 1070

non ad hunc locum pertinere. Itaque licentiae explicandae duplex via aperta est; nimirum etiam hoc modo formae pronominis *suus* monosyllabae fiunt.

Luce clarius est illam vocalem, quae coalescit, ictum non habere opus esse. Atque p. 186 sqq. Radford demonstravit voces, de quibus agitur, semper procliticas esse. Longe frequentissima compositio est *tuám-rem* (p. 191), quasi in unum verbum coniuncta. Sed non intellego, qua de causa excludat ille verba composita, ut *nescio, adfui, exeat* etc. (p. 174 sq.). Mea quidem sententia licentia ad has quoque voces facile deferri potuit. In verbis *dein, proin, deorsum, praeut, coire* sim. vocales *ei* etc. quasi diphthongi apparent, quae numquam nisi contracte pronuntiatae sint[3]). Neque *antea* neque *postea* Plautus correpta adhibebat[4]), ubi vero inveniuntur, melius est scribere *ante* aut *poste*[5]). *Huic, cui, eius, huius, quoius* etiam Müller[6]) concedit monosyllaba esse[7]). Atque si consideramus *bis* factum esse ex *duis* (>*dvis*), *bellum* ex *duellum* (>*dvellum,* quod apud Plautum ipsum invenitur) etc., de illa pronuntiatione mirari non possumus. *Etiam* sim. non ducta sunt ex *et-iam*, sed ex *eti-iam*[8]). *Audibam, scibam* sim. formae genuinae sunt, non *audiebam, sciebam* etc.[9])

Restat quaestio, quae agit de *h* et *v* consonantibus, quae vocalibus circumdatae sunt. Satis constat hoc *h* genuinum saepissime deletum esse in lingua latina, ut in *praebeo* (<*praehibeo*) etc.[10]) Porro Umbri longam vocalem hoc modo significabant, ut *h* consonantem intra duas pares vocales iniungerent. Qui usus etiam in Romanis inscriptionibus invenitur, postquam Accius longam vocalem dupliciter scribi docuit. Qua de causa de *nihil, vehemens, aha* sim. accuratius agere opus non est.[1]) Pauca dicam de *mihi* solum, ex quo *mi* contractum esse mihi non videtur. Sed *mi* dativus genuinus est pronominis personalis, ad quem spectant genitivus *mis*, qui invenitur, et ablativus *me*[2]). Qua de causa hanc breviorem formam omnibus locis, ubi res metrica admittit, legi posse puto.

---

1) Trans. Am. Philol. Assoc. XXXVI p. 169 et 203 sq., ubi Radford (p. 203) hanc synizesin raram hoc modo declarat: „the vowel organs experienced no special difficulty in pronouncing the sequence mĕo ănĭmo, and hence had no occasion to seek a special relief. Nervertheless a few apparently well-attested cases before a short vowel are found in the whole drama."

2) cf. Archiv f. lat. Lexikographie XV p. 86.

3) cf. Fr. Ritschl: Prol. Trin. p. 160.

4) Julius Brix: ad Trin. v. 568.

5) Fr. Ritschl: Op. II p. 545 sqq.

6) „Plaut. Prosodie" p. 468 et 471.

7) Birt: mus. Rhen. 51 p. 246 sq.

8) cf. Birt: mus. Rhen. 51 p. 70 sqq. et praecipue p. 82 sqq. et 107 sq.

9) cf. W. Corssen: „Kritische Beiträge zur lateinischen Formenlehre" (Leipzig 1863) p. 539 sqq. et C. F. W. Müller: „Plaut. Prosodie" p. 471.

10) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 19 sqq.

Non multo aliter atque *h* se habet littera *v* duabus vocalibus inclusa.[3]) Primum illas duas vocales, si pares sunt, v consonante deleta contractas esse notum est (cf. *sis* <*si vis*, *dites* <*divites* etc.).[4]) Sed etiamsi vocales impares sunt, perit saepe *v* consonans. Cogito imprimis de formis *laudarunt* (<*laudaverunt*) etc.[5]) Quibus ex verbis concludere possumus *v* consonantem vocalibus circumdatam gravissime pronuntiatam non esse, ut synizesis statui possit.

3. De hiatu.

Iam a veteribus scriptoribus saepius quaestio proponebatur, utrum vocalis, quae terminat verbum, elidatur, si vocabulum, quod sequitur, a vocali incipit, an utraque vocalis plane atque aperte pronuntietur. Sequitur igitur, ut non omnes Romani eadem pronuntiatione usi, sed alii alio modo vocalem terminantem elocuti sint. Auctor operis, quod inscribitur „Rhetorica ad Herennium", dicit IV 18:

> „Compositio est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam et hiantem orationem reddunt, ut haec est: *bacae aeneae amoenissime impendebant*".

Quibus ex verbis videmus perpolitam orationem „crebras vocalium concursiones" fugisse. Cicero autem nobis tradidit, quis Romanorum hac „oratione vasta atque hiante" usus esset. Dicit enim (Orator 150):

> „Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum inse-

---

1) cf. Ahlberg: „De proceleusmaticis . . ." p. 103 sq. et Andreas Spengel: „T. Maccius Plautus. Kritik, Prosodie, Metrik" (Göttingen 1865) p. 73.

2) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 20.

3) cf. Andreas Spengel: „T. Maccius Plautus" p. 93 sqq.

4) cf. Birt: mus. Rhen. 51 p. 251 adn. 4; Klotz: „Grundzüge altrömischer Metrik" p. 286; C. F. W. Müller: „Plaut. Prosodie" p. 474, qui semper *oblîscor* etc. scribere vult.

5) cf. Radford: Trans. Am. Philol. Assoc. XXXVII p. XXIX.

quentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. Quamvis enim suaves gravesve sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quorum est iudicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere".

Rusticus igitur admisso hiatu loquitur, quem vitant urbani, i. e. ei scilicet, qui in studium rhetoricum incubuerunt. Ergo si idem Cicero dicit (Orator 77):

„Habet enim ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantibus",

loquitur de illis rusticis. Plus idem nos docet, si pergit (§ 152):

„Sed Graeci viderint: nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui, ut versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius:

Vos, qui | accolitis Histrum fluvium atque algidum . . .

Et ibidem:

Quam numquam vobis Grai | atque barbari . . .

At Ennius semel:

Scipio | invicte . . .

Et quidem nos:

Hoc motu radiantis Etesiae | in vada ponti . . .

Hoc quidem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent".

Elucet igitur nobiles doctosque Romanos multo magis studuisse hiatui vitando quam Graecos, sed rusticos et poetas, qui vulgarem sermonem sequebantur, illam licentiam sibi concessisse. Neque Cicero si Naevii solum exemplum affert, ceteros poetas veteres hiatum vitasse putat. In contentionis iudicium vocat et Naevium et Ennium i. e. et poetas, qui ante Ennium scripserunt, et hunc ipsum. Qua de causa etiam Plauto, qui ante Ennium fabulas suas confecit, hiatus concedendus est. Neque id mirum, quoniam imitabatur sermonem rusticorum.

At tamen concludi non potest, ubicumque vocali alterum verbum terminatur, alterum incipit, illum elidi non debere. Contra Plautus eandem vocem modo cum hiatu modo cum elisione pronuntiabat. De qua inconstantia mirari non debemus. Neque enim leges metricae illius temporibus certae erant. Porro Plautus in arte metrica multa a saturnio petivit, alia a Graecis poetis. Atqui et saturnius versus,[1])

[1]) cf. E. Below: „De hiatu Plautino quaestiones" (Berolini 1885) p. 3 sq.

quantum ex fragmentis perpaucis videmus,[1]) et Graeci poetae saepe hiatum admiserunt.

Tum permulti hiatus posterioribus temporibus in fabulas inserti sunt a librariis. Nam ut E. Krawczynski demonstravit,[2]) plures hiatus inveniuntur in Palatinis codicibus quam in A. Quae ubi accidunt, sequimur scilicet A, nisi alia causa nos prohibet.

Plautus igitur non tam severus erat in hiatu vitando. Sequebatur in hac re sermonem cotidianum. Id quod etiam ex versibus apparebit, quos equidem in opero meo afferam. Permulti enim, qui constant puris ex iambis vel spondeis, illam licentiam hiantium syllabarum praebent. Quos si mutare atque emendare conaremur, egregiam diligentiam metricae structurae plurimis locis deleremus.

4. De solutionibus.

Ut iam supra dixi, plerique versus hanc vel illam solutionem praebent. Nunc exponam, quatenus ego versus solutos in opere meo respiciam, quoniam ei, qui constant ex puris iambis, rarissimi sunt. Plautus enim nimis imitabatur sermonem cotidianum. Idque maxime tenendum est prisca illa aetate inter brevem syllabam et eam longam, quae ictum non habet, differentiam parvam, vel adeo minimam fuisse, ita ut Plautus, ubi versum talem scripsit ut:

Ut ípsae solae véntres distendánt suos, Cas. 777

plane tragicus sibi videri posset. Nam harum syllabarum numerus paene idem est atque quem habet versus meris ex iambis compositus. Cuismodi versus, quoniam omni solutione carent, dicamus indissolutos secuti Ricardum Klauer, qui in opere, quod inscribitur „De Aristophanis trimetrorum compositione artificiosiore" (Marpargi Cattorum a. 1905) Aristophanis dialogorum versus eisdem condicionibus perquisivit, quibus ego utor.

Tum afferendi sunt etiam illi versus, qui a poeta, quamquam non meris ex iambis vel spondeis formati, tamen diligentius compositi expolitique sunt. Sed quia non eadem gravitate currunt qua indissoluti, dicamus eos leviores vel leves.[3]) Quo in numero ei habendi sunt, quibus eae solum solutiones insunt, quas etiam Graeci poetae tragici admittunt. Nam versus, qui habent, quod his licitum est, cum in comica Graecorum poesi, tum in Romanorum diligentiores i. e. diligentius factos dicere possumus.

[1]) H. Bergfeld: „De versu Saturnio".
[2]) „De hiatu Plautino" (Vratislaviae 1906).
[3]) Consulto hos versus non tragicos, sed leves dico eosque qui sequuntur indiligentes non comicos, ut Klauer secutus grammaticos veteres, quoniam haec significatio ad latinam rem metricam apta esse mihi non videtur.

Primum indiligentes i. e. indiligentius scripti nominandi sunt versus, in quibus duo vel plures pedes dissoluti sunt. Nam ut E. Szelinsky demonstravit,[1] singuli versus huius modi inveniuntur apud Aeschylum in quadringenis, apud Sophoclem in trecenis, apud Euripidem in quadragenis. Quibus ex numeris videmus iam Euripidem multo neglegentiorem fuisse in versibus componendis. Eandem fere rationem versuum, qui duas vel plures solutiones in fabulis illorum poetarum praebent, Joh. Rumpel supputavit.[2]

Tum ad versus progrediamur, qui unum tantum pedem dissolutum praebent. C. Fr. Müller[3] in 4308 Aeschyli trimetris 293 huius modi invenit, i. e. 1 : 14, 7, in 7568 Sophoclis 446, i. e. 1 : 17, in 17825 Euripidis 3729, i. e. 1 : 4, 78. Rumpel (Phil. XXV p. 54 sq.) et Szelinsky (p. 2) habent paulo aliam rationem, ille apud Aeschylum 1 : 11, apud Sophoclem 1 : 14, hic apud Aeschylum 1 : 12, apud Sophoclem 1 : 14. Sed hanc varietatem parvi pendere possumus. Pluris interest, quales sint illae solutiones. Sextus pes scilicet et apud Romanos et apud Graecos purus est. Tribrachos, i. e. elevationes solutas et apud Aeschylum et apud Sophoclem omnibus in pedibus praeter sextum scilicet invenimus, quamvis in quinto rarius. Aliter se habet solutio elevationis, si positio longa est, ut dactylus fiat. Quem praebent fabulae Aeschyleae et Sophocleae saepius in tertia sede, interdum etiam in prima (apud Euripidem dactylus in hoc pede frequentior est), numquam in quinta. Nam in paribus sedibus apud Graecos positio produci non potest, quoniam eis est metrum pedes bini, qui arctissime cohaerent. Romanis autem metrum idem est ac pes, ut omnibus in pedibus spondeus poni possit. Qua de causa etiamsi in secundo vel quarto pede dactylus invenitur, mihi versus in numero „levium“ ducendus est. Porro quintae sedis elevatio, ut vidimus, raro soluta est, sive positio brevis, sive longa est. Sed iam Euripides praebet dactylum in quinto pede, qui removeri non potest (Iph. Aul. v. 1623). Atque Müller ipse concedit in fabulis satyricis hunc dactylum admissum esse, „quod apud comicos poetas saepissime fit obviam.“ [4] Qua de causa etiam dactylum quinti pedis Romanis poetis concedere possumus, praesertim cum sextus pes solus in structura abhorreat a ceteris.

Aggrediamur nunc ad positionem solutam, quae nimirum multo

---

[1] „Die Auflösungen im Trimeter des Aeschylus und Sophocles“ (Allenstein 1868) p. 27.

[2] De Aeschylo et Sophocle: Philologus XXV (1867) p. 62 sqq. De Euripide: Philologus XXIV (1866) p. 417 sqq.

[3] „De pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis“ (Berolini 1866).

[4] „De pedibus solutis in tragicorum minorum trimetris iambicis“ (Kiliae 1879) p. 14.

molestior est quam elevatio soluta. Ea enim pes ipse omnino immutatur. Ex una brevi syllaba fiunt binae, quae iam ipso aspectu multo evidentius in oculos cadunt, quam si brevis syllaba producitur aut longa solvitur in binas breves. Itaque anapaestus in fabulis et Aeschyli[1] et Sophoclis et in antiquioribus Euripidis saepius invenitur in prima solum sede, quae talia facilius patitur, rarissime in ceteris. Quin etiam in comicorum fabulis anapaestus in prima sede multo frequentior est quam in ceteris[2] atque trimetri horum poetarum ei, qui a choro vel potius a chorego pronuntiantur, carent solutionibus cum elevationis tum positionis.[3] In hac prima sede etiam proceleusmaticum tolerabilem sive „levem“ — sit venia verbo — dicere possumus, etiamsi in Graecorum trimetris non reperitur, quantum video.

Quibus absolutis in numero „levium“ versuum hos ducimus:

1. in quibus elevatio unius pedis dissoluta est, i. e. in quibus unus pes est tribrachus vel dactylus,
2. quorum primus pes est anapaestus vel proceleusmaticus.

Omnes ceteros versus, qui carent illis quas diximus proprietatibus, i. e. in quibus complures pedes dissoluti sunt aut in quibus anapaestus vel proceleusmaticus est primo pede excepto, dicamus uno verbo dissolutos.

Paucis mihi de nominibus propriis quid statuerim addendum est. Quae quidem in fabulis Aeschyli et Sophoclis plerumque a legibus non discedunt.[4] Anapaestos solum omnibus in pedibus, ubi opus erat, usurpari illis poetis concedunt cum auditores tum lectores,[5] quoniam versui non facile inseri poterant. Sed iam Euripides „paullo longius progressus est et interdum, licet raro, anapaestos in propriis nominibus reliquit, ubi non omnino erant necessarii.“ [6] Comici vero in nominibus propriis adhibendis omnes leges neglegebant,[6] ut etiam Plauto hanc licentiam concedere possimus.

Ut etiam graphice tria illa genera distingui possint, significabo ea litteris a b c atque versibus indissolutis anteponam parvam a ([a]), versibus levibus parvam b ([b]), versibus dissolutis parvam c ([c]). Porro versus, qui simillimi sunt Graecis trimetris, i. e. in quibus secundus

---

[1] cf. praeter ceteros etiam: J. Oberdick: „Kritische Studien“ I p. 38 sq.

[2] cf. G. Widegren: „De numero et conformatione pedum solutorum in senariis Aristophaneis“ (Vpsaliae 1868) p. 23 sqq.)
et C. Bernhardi: „De incisionibus anapaesti in trimetro comico Graecorum“, in „Acta societatis philologae Lipsensis“ I p. 243 sqq.

[3] cf. Th. Zielinsky: „Gliederung der altattischen Komödie“ (Leipzig 1885) p. 293 sqq.

[4] cf. Joh. Rumpel: Phil. XXV p. 61 sq.

[5] cf. R. Porson: Supplementum ad praefationem Euripidis Hecubae (Lipsiae 1824) p. XXII sq.

[6] cf. Porson l. l. p. XXIV sq.

et quartus pes puris ex iambis formatus est, iisdem litteris, quas dixi, sed duplicatis insigniam (aa, bb, cc).

5. De senariis tragicorum Romanorum poetarum.

Iam supra vidimus Euripidem in versibus conformandis multo neglegentiorem fuisse Aeschylo et Sophocle. Imprimis recentiores eius fabulae praebent permultas licentias atque praecipue solutos pedes. Quae solutiones amplificantur in Aristophanis trimetris, qui non solum tribrachum omnibus in sedibus admittit, sed etiam anapaestum.[1]) Versus meris ex iambis compositi multo rarius inveniuntur (1 : 69)[2]). At tamen hos ipsos versus diligentiores certis condicionibus adhibebat, ut Ricardus Klauer demonstravit in opere, quod iam supra commemoravi.

Qui sequuntur Aristophanem comici poetae et diligentiores et neglegentiores fuerunt quam ille. Nam Menander in fragmentis quamquam plures iambicos trimetros meris ex iambis compositos habet (1 : 40) quam Aristophanes (1 : 69)[3]) neque numerus anapaestorum apud illum tantus est, quantus eorum, qui in trimetris Aristophanis inveniuntur (1 : 2,84 et 1 : 2,30)[4]), tamen cum tribrachum saepius adhibuit (1 : 3,28) quam Aristophanes (1 : 3,33)[5]), tum dactylum (1 : 4,39, apud Aristophanam 1 : 6,01)[6]). Atque ratio eorum versuum, qui hunc vel illum pedem dissolutum praebent (quo nomine Whitius tribrachos dactylosque comprehendit), pro eis, qui maiore studio facti sunt, est 1 : 1,88 (apud Aristophanem 1:2,14).[7])

Menandrum ceterosque recentiores poetas Graecos imitati sunt in arte metrica Romani poetae et comici et tragici. Qua de causa mirari non debemus, quod tragicorum senarii iambici multo plures solutiones habent Romanorum quam Graecorum et alii versus maiore diligentia, alii minore cura conformati sunt.

At tamen, ut ex fragmentis nobis servatis[8]) videmus, eorum versuum numerus, qui hanc vel illam solutionem metri praebent, comparata arte Aristophanis et Menandri paulo minor est, neque erit qui neget etiam exspectari in tragoedia multo plures versus, qui gravissime currant, quam in comoedia. Nam apud tragicos Romanos tertia fere pars versuum omni solutione caret (nominibus propriis exceptis), si fragmenta aliquid demonstrare concedimus. Ea scilicet, quae partes solum versuum continent, neglexi, nisi ex eis quoque elucet, utrum versus indissolutus fuerit an levis an dissolutus. Eodem modo

---

1) cf. Widegren l. l. et Bernhardi l. l.
2) cf. John Williams White: „The iambic trimeter in Menander“ in „Classical Philology“ IV p. 139 (Chicago 1909).
3) cf. White p. 139. 4) White p. 150. 5) White p. 142. 6) White p. 147.
7) cf. Withe p. 141.
8) ed. O. Ribbeck: „Tragicorum Romanorum fragmenta“. (Lipsiae 1897[3]).

in sequentibus ubi pertractabo versus artificiosiores, eos locos non afferam, qui corrupti sunt aut quorum sententia intellegi non potest.

Nunc ad exempla ipsa veniamus atque quibus condicionibus structura diligentior sit perquiramus.

[a]Regum ímperator, aéternum humanúm sator. Pacuvii 295

Hic nemo erit qui neget Iovem invocari. Etiam:

[c] precor veniám petens, Pacuvii 296
[a]Utí quae[1]) | egi ago áxim verruncént bene,

quoniam qui loquitur, eum a deo aliquo veniam precari puto, hoc loco affero. Porro hi versus:

[c] út ego, omnipotens ⟨Iúppiter⟩, Ennii 141
[b]Te expósco, ut hoc consílium Achivis aúxili
Fuát

ad Iovem directi sunt, qui quo modo metiendi sint, incertum est. Quem versum Ribbeckius legit:

[b]Paréntem et pa⟨triam, di, servate⟩ sóspitem, Ennii 386,

corruptus est, sed ab omnibus vv. dd. ita expletus, ut levis appareat. Eum ad deos directum esse existimo. Nescio an hoc loco tractari possint hi versus:

[b]Concórditatem hospitio adiunctam pérpetem Pacuvii 188
[b]Probitáte conservétis.

Tum duo fragmenta afferam, quae continere ius iurandum puto:

[b]Di me étsi perdunt, támen esse adiutam éxpetunt, Pacuvii 206
[c]Quom príus quam intereo spátium ulciscendí danunt.
[aa]Quot lúna circlos ánnuo in cursu ínstitit. Accii 100

Postremo ad hunc locum pertinet:

[b]Calidónia altrix térra exuperantúm virum, Pacuvii 404

quo quamquam non haec vel illa dea invocatur, tamen ita enuntiatur, tamquam ad eam directus sit. Porro:

[a]Adde húc quod mihi porténto caelestúm pater Accii 209
[c]Prodigium misit, régni stabilimén mei,
[b]Agnum inter pecudes aúrea clarúm coma,
[b]Em clám Thyestem clépere ausum esse e régia,
[a]Qua in re ádiutricem cóniugem cepít sibi,

ubi prodigium narratur, quod dei miserunt.

Aggrediamur nunc ad alia exempla.

[b]Vide húnc, meae in quem lácrumae guttatím cadunt. Ennii 172

Dicitur de lacrumis, i. e. qui loquitur, luctum percipit ex aliqua re Eadem affectio animi inest his versibus:

[a]⟨A⟩ fíliis proptér te obiecta sum ínnocens Ennii 98
Nerei.

---

1) Hiatum agnoscamus.

[bb]His érat in ore Brómius, his Bacchús pater, Ennii 107
[aa]Illís Lyaeus vítis inventór sacrae:
[b]Tum páriter euhan ⟨eúhoe cantans⟩ eúhium
[bb]Ignótus iuvenum coétus alterná vice
[bb]Inibat, alacris Bácchico insultáns modo.[1])
[a]Set númquam scripstis, quí parentem et hóspitem Ennii 173
[b]Necásset, quo quis crúciatu perbíteret.
[b]Cupído cepit míseram nunc me próloqui Ennii 216
[bb]Caelo átque terrae Médeaï míserias.
[c]Quo núnc me vortam? quód iter incipiam íngredi? Ennii 231
[a]Domúm paternamne ánne ad Peliae fílias?
[bb]Frendére noctes, mísera quas perpéssa sum. Pacuvii 10
[a]Periére Danai, pléra pars pessúm datast. Pacuvii 320
ah! Pacuvii 353
[b]Cepísti me istoc vérbo, miseretúr tui.
heu! Accii 21
[aa]Cuiátis stirpem fúnditus fligi studet!
[a]Nam quámquam exanguest córpus mi atque annís putret. Accii 56
[b]Maiór erit luctus, cúm me damnatum aúdiet. Accii 153
[b]Hem, véreor plus quam fás est captivam híscere. Accii 157
[bb]Utinam únicam mi antístitam Arquitenéns suam Tutétur! Accii 167
[bb]Iterúm Thyestes 'Atreum adtractatum ádvenit, Accii 198
[c]Iterúm iam adgreditur me ét quietum exsúscitat:
[a]Maiór mihi moles, máius miscendúmst malum,
[b]Qui illíus [2]) acerbum cór contundam et cómprimam.
[aa]Disértim id unum incómmodis defít meis. Accii 350
[a] heu Múlciber! Accii 558
[b]⟨Non⟩ árma ignavo invícta es fabricatús manu.
[a]Obít nunc vestra moénia, omnis saúcios Accii 597

[1]) Hi versus saepius tractati et propter elegantissimam structuram, quae imitatur graecos trimetros, ab Ennio facti esse negati sunt (cf. Fr. A. Lange: „Quaestiones metricae“ p. 16 et 30). O. Ribbeck: „Die rōmische Tragōdie im Zeitalter der Republik“ p. 205 confitetur miram esse hanc summam elegantiam, sed etiam alia fragmenta eodem modo confecta exstare, etiamsi numerus versuum plerumque minor sit. B. Schmidt (Mus. Rhen. XVI p. 599 sq.), si non ab Ennio ipso facti sint, at tamen antiquis temporibus eos formatos esse putat. Certe afferri possunt in hac tractatione. Neque intellego, qua de causa Lange (p. 30) hos versus in aetatem Augusteam transferat. Mea quidem sententia causam non habuit, praesertim cum Charisius (p. 214 P) eos Ennii Athamantis esse dicat. Eos qui dicunt maiore arte elaboratos esse, quam ut tam antiqua aetate facti esse possint, iam Ribbeck refellit (cf. etiam Ennii vv. 197 sq.).

[2]) cf. Birt: Mus. Rhen. 51 p. 265 adn. 1.

[a]Convísit, ut curéntur diligéntius.
[b]Repúdio eiecta ab 'Argis iam dudum éxsulo. Accii 682
[a]Heu quá me causa, Fórtuna, infesté premis? Pompilius 1

Quod est contrarium huic affectioni animi, **g a u d i u m** exprimitur hoc versu:

[a]Quanta ín venando affécta est laetitúdine. Accii 259

Cicero De natura deorum II 89 dicit:

„Atqui ille apud Accium pastor, qui navem numquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautorum e monte conspexit, primo **a d m i r a n s** et **p e r t e r r i t u s** hoc modo loquitur:

[a] tánta moles lábitur Accii 391
[c]Fremibúnda ex alto ingénti sonitu et spíritu
[a]Prae se úndas volvit, vértices vi súscitat:
[bb]Ruít prolapsa, pélagus respargít reflat.
[b]Ita dum ínterruptum crédas nimbum vólvier,
[a]Dum quód sublime véntis expulsúm rapi
[aa]Saxum aút procellis, vél globosos túrbines
[a]Exístere ictos úndis concursántibus:
[b]Nisi quás terrestris póntus strages cónciet,
[aa]Aut fórte Triton fúscina everténs specus
[b]Suptér radices pénitus undante ín freto
[aa]Molem éx profundo sáxeam ad caelum érigit.“

Neque illa affectio animi desiit, cum dicat haec verba:

[b]Sicút lascivi atque álacres rostris pérfremunt Accii 403
[aa]Delphíni, item alto múlcta Silvaní melo
[bb]Consímilem ad auris cántum et auditúm refert.

Sed videamus, num etiam tales versus inveniamus, qui contineant admirationem vel perturbationem.

[a]Mirúm videtur, quód sit factum iám diu —? Livii Andr. 15
[b]Quid istúc est? vultum cáligat quae trístitas? Pacuvii 58/59
[a] quid? quod iam ét mihi Pacuvii 143
[a]Pigét paternum nómen, maternúm pudet
[a]Profári.
[b]Heu, nón tyrannum nóvi temeritúdinem? Pacuvii 149
[b]Set quíd conspicio? núm me lactans cálvitur Pacuvii 241
[a]Aetás?
[b]Credíti' me amici mórte imbuturúm manus? Accii 433
[a]Quae vástitudo haec aút unde invasít mihi? Accii 455

Porro etiam talia leguntur:

[a]Quantís cum aerumnis íllum exanclaví diem! Eunii 90

E x c l a m a t u r per versum plane indissolutum. Eandem exclamationem continet:

[b]Quam té post multis túeor tempestátibus! Pacuvii 319

Quibus ex exemplis videmus hanc figuram rhetoricam efficere dili-

gentiorem structuram versuum. Cf. porro permulta exempla, quae supra attuli, ubi de luctu et de gaudio dixi (p. 17 sqq.).

Sed aliaene figurae rhetoricae versibus maiore studio elaboratis insunt? In his versibus:

[bb] Videó sepulcra duó duorum córporum — Accii 655

[a] Bellúm gerentes súmmum summa indústria — Ennii 64

nomina ex diverso collocata sunt. Habemus igitur illam artificiosam verborum collocationem, quam Graeci χιασμόν appellant. Cf. porro:

[a] pérgite, — Naevii 31

[a] Tyrsígerae Bacchae, Bácchico cum scémate.

[a] Quid méd obtutu térres, mulces laúdibus? — Pacuvii 395

Porro vv. Pacuvii 144, quem iam supra (p. 19) attuli, et Accii 156.

In Pacuvii v. 295 (cf. supra p. 17):

[a] Regum ímperator, aéternum humanúm sator

respondet verbum „regum“ verbis „aeternum humanum“, item „imperator“ verbo „sator“. Compositio igitur par est, quae a Graecis nominatur παράλληλος. Eadem collocatio inest:

[a] Aut híc est aut hic ádfore actutum aútumo. — Pacuvii 118

et Ennii vv. 107 sq. (cf. supra p. 18).

Iam supra p. 18 adscripsi vv.:

[a] Maiór mihi moles, máius miscendúmst malum, — Accii 200

[b] Quí illíus acerbum cór contundam et cómprimam.

Quos considerantes videmus in primo versu omnia verba a consonante *m*, in altero multa a consonante *c* incipere. Idem valet de his versibus:

[a] Pervínce pertináci pervicácia. — Ennii 408

[bb] Ecfáre, quae cor tuúm timiditas térritet. — Pacuvii 292

[b] Ne horúm discordiae ét dividiae díssipent — Accii 587

[a] Distúrbent tantas ét tam opímas civium

[b] Divítias.

Omnibus his exemplis παρήχησις figura inest, cui hodie nomen est alliteratio. Sed quoniam non omnia exempla huius modi plane afferre possum, primum nonnulla fragmenta, quae mihi maxime idonea esse videntur, quae demonstrent diligentiorem formam, exscribam et tum locos modo ponam.

[a] nam ut Pérgama — Livii Andr. 2

[b] Accénsa et praeda pér participes aéquiter

[a] Partíta est.

[aa] Voláns de caelo cúm corona et taéniis. — Ennii 33

[a] Incértis certos cómpotesque cónsili — Ennii 352

[b] Dimítto, ut ne res témere tractent túrbidas.

[a] Tua honéstitudo Dánaos decepít diu. — Accii 16

[b] Cui mánus materno sórdet sparsa sánguine. — Accii 22

[bb] Passímque praeda pécua vallebánt agris. — Accii 271

[bb] Probís probatum pótius quam multís fore. — Accii 314

[b] Ab clásse ad urbem téndunt, neque quisquám potest — Accii 318

[aa] Fulgéntium armum armátus ardorem óbtui.

[b] Primóres procerum próvocavit nóminans, — Accii 325

[a] Si essét quis, qui armis sécum vellet cérnere.

[a] Contra ést eundem caútim et captandúm mihi. — Accii 541

Cf. porro: Livii Andronici 5 sq.; Naevii 12, 17, 29, 48, 49; Ennii 7 sq.,[1] 34 sq., 61, 112, 214, 234, 285, 286, 293, 296, 339, 373; Pacuvii 17, 43, 67, 68, 115, 116 sq., 162, 234, 250 sq., 252, 324; Accii 49, 57, 101, 121, 134, 196, 254, 478, 480, 493—496, 552 sq., 574, 578, 658 sq., 684.

Allitterationi simillimam figuram praebet:

[a] Amícus certus ín re incerta cérnitur, — Ennii 388

in quo syllaba vel potius radix *cer* in compluribus vocabulis iteratur. Quam figuram dixerunt Graeci παρονομασίαν, annominationem Latini.

[a] Nunc ne íllum expectes, quándo amico amíciter. — Pacuvii 131

Quaenam sententia inest:

[c] Video égo te, mulier, móre multarum útier, — Accii 647

[a] Ut vím contendas tuam ád maiestatém viri,

quorum alter v. diligentissime formatus est? Irridetur scilicet genus feminarum, quae vim suam cum maiestate virorum comparent.

[aa] Pallás bicorpor ánguium spirás trahit — Accii 307

nescio an contineat ludificationem quandam.

Non solum irrisionem, sed iram aut vituperationem exprimunt hi versus:

sic — Accii 45

[c] Multi, ánimus quorum atróci vinctus málitia est,

[b] Compósita dicta e péctore evolvúnt suo,

[a] Quae cúm componas, dícta factis díscrepant.

Opprobrium etiam inest Pacuvii v. 395, quem iam supra (p. 20) attuli. Porro cf.:

[bb] Si tuí veretur té progenitorís, cedo. — Accii 76

[b] Huius mé dividia cógit plus quam est pár loqui. — Accii 152

[bb] Qui nón sat habuit cóniugem inlexe ín stuprum. — Accii 205

[a] ferre exanclávimus — Accii 269

[b] Tyránni saevom ingénium atque execrábile.

[bb] Tamen haút fatiscar quín tuam implorém fidem. — Accii 330

[b] Períte in stabulo frénos immitténs feris. — Accii 416

Poena simul indicatur his versibus:

[aa] Si té secundo lúmine hic offéndero, — Ennii 224

[b] Moriére.

[cc] Nam te ín tenebrica saépe lacerabó fame — Pacuvii 158

---

[1] Quaeritur, utrum versus iambici sint an anapaestici. Lucianus Müller praebet anapaestos.

[a] Clausam ét fatigans ártus torto dístraham.
[c] . . . néque fera hominum péctora Accii 25
[a] Fragéscunt, donec vim ímperi persénserint.
[a] . . . cui potéstas ⟨si⟩ detúr, tua Accii 542
[b] Cupiénter malis mémbra discerpát suis.
[c] Iussít proficisci exílium quovis géntium, Accii 599
[b] Ne scélere tuo Thebáni vastescánt agri.
[b] Iam hanc úrbem ferro vástam faciet Péleus. Accii 668

Nunc nonnulla exempla conferam, quae vocem affirmativam aliquam velut *obsecro* continent. Qualia quoniam perpauca in fragmentis inveni, hanc observationem postea diligentius pertractabo. Quae habeo, nunc exscribam.

His versibus inest *obsecro*:
[b] Non párvolam rem ordíbor. — Ne retice, óbsecro! Accii 95
[b] Quid istúc, gnata unica, ést, Demonassa, óbsecro, Accii 299
[c] Quod mé †cumago expeténs timidam e tecto éxcies —?

Ecce habemus:
[aa] Atque éccum in ipso témpore ostentúm senem! Pacuvii 238
[a] Atque éccos segnis sómno et tartitúdine. Accii 69

Profecto vocem continet:
[b] Profécto hauquaquam est órtus mediocrí satu. Accii 618

Consideremus hos versus:
[b] Vos íte actutum atque ópere magno edícite Accii 508
[a] Per úrbem, ut omnes, qui árcem Alpheumque áccolunt,
[c] Civés ominibus faústis augustam ádhibeant
[aa] Favéntiam, ore obscéna dicti ségregent.

Continent iussum, qui ad quem directus sit nescimus. Quid quis fuerit, satis est, quod versus perpaucas solutiones praebent. Sed quoniam hoc unum exemplum nihil demonstrat, plura afferam. Naevii vv. 31 sq. cf. supra p. 20.
[a] Audi átque auditis hóstimentum adiúngito. Ennii 113
[a] Dicó vicisse Oréstem: vos facéssite! Ennii 136
[b] Asta átque Athenas ánticum, opulentum óppidum Ennii 243
[a] Contémpla et templum Céreris ad laevam áspice.
[a] Extémplo acceptam mé necato et fíliam. Ennii 355
[a] Set méd incertat díctio: quare éxpedi! Pacuvii 150
[aa] Facéssite omnes hínc: parumper tú mane! Pacuvii 326
[a] Postrémo amplexa frúctum, quem di dánt, cape! Accii 70
[a] Sed mémet calvor: vós istum, ut iussi, ócius Accii 382
[a] Abstráhite.
[a] Atque hánc postremo sólis usurám cape! Accii 507
[a] Obtórque prorim ac súppa tortas cópulas. Accii 575

Adde similes locos, quos non omnes eiusdem diligentiae esse nemo erit qui neget: Naevii 21—23, 24 sq., 27 sq., 34, 46 sq.; Ennii 393;

Pacuvii 47, 146, 208 sq., 255, 283, 284—286, 341; Accii 187 sq., 310 sq., 343, 481, 545.

Priscianus postquam in opere, quod inscribitur: „De metris Terentii", exposuit poetas comicos „in plerisque prologis et primis scaenis trimetris" usos esse, id quod permultis exemplis demonstrat, quae nos quoque habemus, hunc usum tragicos etiam vetustissimos adhibuisse dicit atque hos primos versus affert (§ 14 sq.):
[c] Utinám ne in nemore Pélio secúribus Ennii 205
[a] Caesa áccedisset ábiegna ad terrám trabes,
[aa] Neve índe navis íncohandi exórdium
[a] Coepísset, quae nunc nóminatur nómine
[b] Argó, quia Argivi ín ea delectí viri
[bb] Vectí petebant péllem inauratam árietis
[b] Colchís, imperio regis Peliae, pér dolum.
[aa] Nam númquam era errans meá domo ecferrét pedem
[b] Medéa, animo aegra, amóre saevo saúcia.
[a] Quantám Tyndareo gnata et Menelaí domus Accii 609
[a] Molem éxcitarit bélli pastorque 'Ilius.
[aa] Sol quí micantem cándido curru átque equis Accii 581
[aa] Flammám citatis férvido ardore éxplicas,
[c] Quianám tam adverso augúrio et inimico ómine
[c] Thebís radiatum lúmen ostentás tuum —?

Accii vv. 391 sqq. (cf. supra p. 19) falso Pricianum attulisse puto, quoniam Cicero, ut supra dixi, versus alio ordine collocatos nobis tradidit. Praeterea fabulam non a verbis „aut forte" incipere posse patet. Qua de causa hos versus non respicio. Item Accii vv. 98 sq. neglegam, quoniam dissoluti sunt.

Cum initio fabulae vel potius cum versibus, quos loquitur, qui procedit in scaenam, cohaeret:
[a] Andrómachae nomen qui índidit, recte índidit Ennii 65
et fortasse Ennii vv. 107 sqq., quos iam supra (p. 18 et 20) exscripsi, quoniam versus, quibus quis nomen suum prodit, non multo ab initio scaenae abesse possunt.

Neque aliter res se habet in hoc versu, quamquam dissolutus est:
[cc] Salvéte, gemini, méa propages sánguinis! Pacuvii 20
quo quis salutationem dicit.

Sed quo modo versus compositi sunt, quos loquitur, qui exit e scaena? Duo exempla inveni, quos ultimos versus fuisse puto:
[b] Ibo ád eam ut sciscam quíd velit. — Valvaé sonunt. Pacuvii 214
[b] ⟨Nunc⟩ érgo me Argo réferam, nam hic sum gnóbilis Accii 283
[a] Ne cuí cognoscar nóto.

Neque igitur structuram eorum versuum, qui attingunt commutationem scaenae, neglectam esse a poeta videmus.

Qui audiunt haec verba:

[a] Nam quód conabar, cum ínterventum est, dícere, Pacuvii 65
[a] Nunc éxpedibo,

eorum animus maxime attenditur ad illud, quod sequitur. Idem fit his locis:

[c] Exsúrge, praeco: fác populo audiéntiam. Ennii 13
— — — — — — — — — — — — — —
[b] Siléteque et tacéte atque animum advórtite:
[bb] Audíre iubet vos ímperator.
[b] Id ego aécum fecisse éxpedibo atque éloquar. Ennii 135
[aa] Certátio hic est núlla quin monstrúm siet: Ennii 245
[b] Hoc égo tibi dico ét coniectura aúguro.
[b] Quae rés te ab stabulis ábiugat? — Certum ést loqui. Pacuvii 222
[b] Cuncta éxpedibo: id módo ius iurandúm dabo. Accii 490

Versus igitur hi quoque omnes diligentiore cura facti expolitique sunt.

Quaeramus hos versus:

[a] Tu pértinaciam ésse, Antiloche, hanc praédicas, Accii 4
[bb] Ego pérvicaciam áio et ea me utí volo:
[b] Haec fórtis sequitur, íllam indocti póssident.
[b] Tu addís quod vitio est, démis quod laudí datur.
[a] Nam pérvicacem díci me esse et víncere
[c] Perfácile patior. pértinacem níl moror.

Ubi „ego“ et „tu“, „haec“ et „illa“ (quae personae hae sint, nescimus praeter Antilochum scilicet) inter se oppositi sunt. Eadem ars disputandi in his versibus observatur:

[b] Iniúria abs te adfícior indigná, pater. Ennii 114
[a] Nam si ímprobum esse Chréspontem | exístimas,
[aa] Cur me huic locabas núptiis? sin ést probus,
[a] Cur tálem invitam invítum cogis línquere?[1]
[a] Hectór vi summa armátos educít foras, Ennii 139
[a] Castrísque castra Tróiani inferre óccupant.
[aa] Plebés in hoc regi ántistat locó[2]): licet Ennii 197
[bb] Lacrumáre plebi, régi honeste nón licet.
[a] Virtúti sis par, díspar fortunís patris. Accii 156 (p. 20)

———

[1]) Quoniam in Rhetoricis ad Herennium II 24, 38, ubi hi versus servati sunt, nomen poetae non datur iidemque diligentissime confecti sunt imitantes structuram Graecorum trimetrorum, etiam hi versus Ennii esse negati sunt. Ego eisdem causis quibus Ennii vv. 107 sqq. (cf. supra p. 18 adn. 1) commotus hos quoque vetustos esse puto, ut hoc loco afferri possint.

[2]) „loco“ tuetur J. Vahlen, „large“ proposuerat O. Ribbeck, quamquam in editione tertiis curis recognita „loco“ legit.

Cf. porro: Livii Andronici 12; Ennii 128 sq., 132 sq.; Pacuvii 83—85, 270 sq., 288 sq.; Accii 19 sq., 220—222, 309, 382 sq. (p. 22), 411, 539 sq., 547 sq., 619 sq.

Tum nonnulla exempla afferam, in quibus voces sunt, quae omnes idem fere significant, sed quarum vis gradatim ascendit. Considerantes, ut exemplo utar:

[b] Incúsant ultro, a fórtuna opibusque ómnibus Accii 594
[b] Desértum abiectum afflíctum exanimum expéctorant,

vim verborum „desertum abiectum afflictum exanimum“ augeri videmus. Neque quisquam erit qui neget, quo maior vis sit, eo graviorem esse sonum eorum. Similia pauca afferam:

[b] Ibi quíd agat secum cógitat pensát putat. Ennii 297
[a] Labát, labuntur sáxa, caementaé cadunt. Ennii 373 (p. 21).
[bb] Par fórtitudo, gémina confidéntia. Pacuvii 174
[a] Obnóxium esse aut brútum aut elinguém putes. Pacuvii 176
[aa] Persuásit maeror ánxitudo errór dolor. Accii 349
[a] Opínione fáctum est, quanto mítius Accii 377
[a] Stirpem éducabant, tánto ut reremúr magis
[a] Sevéros esse.
[a] Dolét pudetque Gráium me et veró piget. Accii 471
[a] Delúbra caelitum, árae, sanctitúdines. Accii 593

Porro ad hunc locum pertinent, etiamsi gradatio non semper eadem gravitate est, haec exempla: Livii Andronici 10 sq.; Pacuvii 37, 80—82, 313 sq.; Accii 66, 206—208, 441, 442, 458 sq., 549—551.

Ad extremum versus tractabo, in quibus hoc vel illud verbum aut sententia maxime eminet. Ut exemplo utar, hi versus:

[c] Undé sibi populi et réges consilium éxpetunt, Ennii 350 (de 352 sq. p. 20)
[b] Summárum rerum incérti, quos ego ópe mea ex
[a] Incértis certos cómpotesque cónsili
[b] Dimítto, ut ne res témere tractent túrbidas

vehementi sono enuntiandi sunt, ut vis Apollinis praedicetur. Eadem potestas inest generi dicendi huius exempli:

[bb] Qui témpla caeli súmma sonitu cóncutit. Ennii 372

His in versibus modo magnitudo modo multitudo gravi sono dicenda est:

[c] Omnés formidant hómines eius valéntiam. Naevii 2
[a] Laté longeque tránstros nostros férvere. Naevii 49 (p. 21)
[a] Si quá potestur ínvestigarí via. Pacuvii 100
[bb] Nam sólus Danais híc domum itioném dedit. Pacuvii 173
[aa] Set hí cluentur hóspitum infidíssimi. Pacuvii 194
[a] Angués ingentes álites iunctí iugo. Pacuvii 397
[b] Nil crédo anguribus, qui aúris verbis dívitant Accii 169
[c] Aliénas, suas ut aúro locupletént domos.
[a] Deinde ómni stirpe cum íncluta Cadméide Accii 235

[a] Vagánt matronae pércitatae insánia.
[c] Quod sí procedit, néque te neque quemquam árbitror Accii 312
[aa] Tuae paéniturum laúdis, quam ut servés vide.
[a] Mavórtes armis duó congressos créderes. Accii 321
[a] quid si ex Graécia Accii 464
[b] Omni íllius par némo reperirí potest?
[b] Quemcúmque institeram grúmmum aut praecisúm iugum. Accii 506
[aa] Fluctí cruoris vólverentur Mýsii. Accii 633

Postquam in eis, quae usque adhuc tractavi, profectus a graecis tragicis poetis, qui plus minus et trimetros summa cura conficiebant et solutiones quam plurimum vitabant, ad comicos graecos processi, qui multo neglegentiores erant, et ad tragicos Romanos, qui Graecos imitabantur, tandem ad Plautum ipsum venimus, qui praebet, ut iam supra dixi (p. 2), hanc fere in solutionibus admittendis rationem 1 : 3, 337. Quae mira est, si consideramus etiam trimetrorum tragicorum tertiam fere partem omnibus solutionibus carere. Itaque Plautus vix differt a tragicis, Graeci autem poetae comici certe neglegentiores fuerunt in versibus componendis quam Graeci tragici, atque sermo comoediae minus severus est quam tragoediae [1]). Sed quaestio est, ut iam supra commemoravi, num ex tragicorum fragmentis, quae plerumque perpaucos vel unum solum versum praebent, veram rationem cognoscere possimus. Porro differentia ne inter Aristophanis et Euripidis quidem trimetros iambicos, praesertim si huius recentiores fabulas respicimus, permagna est. Atque Romani et tragici et comici poetae cognoverunt Graecorum trimetros comicos. His de causis mirari non possumus, quod ratio versuum, qui vitant solutiones, pro eis, qui hanc vel illam praebent, fere eadem est et apud tragicos et apud comicos poetas Romanos.

Qua via in quaestione tractanda progrediamur, iam ex senariis tragicorum Romanorum elucet. Primum versus attuli, quibus deus aliquis vel dea invocatur sive ad precandum sive ad iurandum. Tum versus, quibus inest luctus vel gaudium vel stupor, i. e. affectus animi, diligentiorem structuram praebere vidimus. Sequuntur versus, quorum causa compositionis artificiosioris figura rhetorica est. Omnes hi versus etiam in tragoedia adhiberi poterant, quoniam solutionem metri vitant. Atque ut opinor, consulto hoc studio formati sunt, u t i l l u d g e n u s t r a g i c u m d i c e n d i e t i a m s t r u c t u r a e x-

[1]) cf. G. Widegren, l. l. p. V: „Cum enim familiarem sermonem imitari atque effingere deberent comici, ea erat numerorum levitas et quasi neglegentia adhibenda, ut artis dissimulatione solutae fere orationis dispares numeros deprehendere sibi viderentur audientes, et tamen mox se deceptos animadverterent".

p r i m e r e t u r. — Porro nemo erit qui neget fieri non potuisse, ut versus, quos tum exscripsi, permultas solutiones praeberent. Nam ut exemplo utar, versus, quibus quis vituperat vel iussum facit, animos audientium non tam graviter commovent, si permulti pedes soluti sunt, quam si omnes constant meris ex iambis vel spondeis. Eodem modo ceteri omnes versus diligentissime expoliti sunt a poeta, u t s i v e h i s t r i o n u m s i v e s p e c t a t o r u m a u r e s v e h e m e n t i s s i m e a r r i g e r e n t u r.

Sed ut iam exempla docent, quae usque adhuc attuli, reperiuntur versus, qui compluribus locis tractari potuerint. Pacuvii v. 295 et in numero eorum duxi, qui ad deos directi sunt et qui figuram rhetoricam continent. Id quod mirari non debet. Sed plerumque non omnibus locis eos exscribam, delegabo solum ad priorem paginam.

Postquam hoc modo viam quaestionis meae significavi, ad senarios Plautinos ipsos, quos me perquisiturum esse pollicitus sum, progrediamur atque exaedificemus id opus, quod instituimus.

Sequar in tractatione mea editionem Georgii Goetz et Friderici Schoell in versibus et numerandis et legendis. Si quando aberrabo ab illa, diserte planeque dicam.

Prima pars.

De versibus, qui ad augendum tragicum dicendi genus maiore diligentia conformati sunt.

Caput I.

De versibus, in quibus dei dicuntur.

1. De invocatione deorum.

Chrysalus ab Apolline precatur:

[c] veneróque te, Bacch. 173
[aa] Ne Nícobulum mé sinas nostrúm senem
[bb] Prius cónvenire quám sodalem víderim
[b] Mnesílochi Pistoclérum, quem | ad epístulam
[bb] Mnésilochus misit súper amica Bácchide.

Sunt igitur, si verba „veneroque te" neglegimus, quoniam invocationem praeparant, omnes versus diligentissime conformati, quin etiam structuram Graecorum imitantur.

[b] Apóllo, quaeso te, út des pacem própitius, Merc. 678
[b] Salútem et sanitátem nostrae fámiliae,
[b] Meóque ut parcas gnáto † parce própitius.

v. 680 corruptus est. Sed si codices sequimur, versum levem habemus. Atque indissolutus fit correctura Ritschelii, quae est haec:

[a] Meóque ut parcas gnáto ut mihi sospés fuat.

Porro cf.:

[b] Utinám me divi adáxint ad suspéndium Aul. 50
[bb] Potiús quidem quam hoc pácto apud te sérviam.
[a] Apóllo, quaeso, súbveni mi atque ádiuva: Aul. 394
[b] Confíge sagittis fúres thensaurários:
[a] Quoi | ín re tali iám subvenisti ántidhac.[1])
[b] Deós deasque véneror qui hanc urbém colunt, Poen. 950
[a] Ut quód de mea re huc véni rite vénerim

---

[1]) v. 396 corruptus est. Sed omnes fere vv. dd., ut J. L. Ussing, Fr. Ritschl, F. Leo versum eo modo emendant, ut indissolutus sit. Assentiri non possum Ussingio, qui „si" adiunxit, quoniam hiatum retinere possumus (cf. Th. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 312 sqq. et Archiv f. lat. Lexikographie XV p. 86).

[a] Measque híc ut gnatas ét mei fratris fílium
[bb] Reperíre me sirítis, dei, vostrám fidem.
[a] Deosque ímmortales quaéso, dum vivás, uti Rud. 499
[c] Omnés tui similes hóspites habeás tibi.
[c] At égo deos quaeso, ut quídquid in illo vídulost, Rud. 1256
[a] Si aurúm, si argentumst, ómne id ut fiát cinis.

Duos locos nunc afferam, quibus qui dis gratiam habent, quod bene rem aliquam gesserint. Sunt hi:

[b] Dís hercle habeo grátiam: Cist. 624
[a] Nam ni íntellexes, númquam credo amítteres,

et

[b] Quom béne re gesta sálvos convortór domum, Stich. 402
[b] Neptúno grates hábeo et tempestátibus:
[a] Simúl Mercurio, quí me in mercimóniis
[bb] Iuvít lucrisque quádruplicavit rém meam.

2. De imprecatione.

Praeter hos locos, quos modo tractavi, in fabulis Plautinis multi versus sunt, quibus quis nomen deorum invocat, ut alii homini bonum vel malum impetret. Qui versus non ad deos ipsos directi sunt. Quorum nomen solum dicitur. Sed videamus, quo modo poeta versus eiusmodi composuerit, atque primum eos colligamus, qui exsecrationem continent.

[a] Quin hércle di te pérdant postremó quidem. Cas. 609
[a] . . . ut te omnes, Démipho, di pérduint. Merc. 710
[a] At té, vicine, dí deaeque pérduint Merc. 793
[aa] Cum tuá | amica cúmque amatiónibus.
[a] Suspícione implévit me indignissume:
[b] Concívit hostis dómi | uxor acérrumast.[1])
[a] Dí me perdant, sí bibi, Mil. gl. 833
[c] Si bíbere potui.
[a] At te Iúppiter Most. 38
[b] Dique ómnes perdant: óboluisti | álium . . .[2])
[a] Di té deaeque omnis fáxint cum isto | ómine.[3]) Most. 464
[aa] Malúm quod isti dí deaeque omnés duint. Most. 655
[a] Di té deaeque omnis fúnditus perdánt, senex. Most. 684
[a] Di illum ínfelicent ómnes qui post húnc diem Poen. 449
[a] Leno úllam Veneri umquam ímmolarit hóstiam
[b] Quive úllum turis gránum sacruficáverit.

---

[1]) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 339.
[2]) In v. 39 codices „fufae" non praebent. vv. 40 sq. corrupti sunt, ut neglegi possint.
[3]) traditur „homine", cf. Birt l. l. p. 321.

[aa] Diéspiter vos pérduit. Poen. 740
[a] Suspéndant omnes núnciam se harúspices, Poen. 746
[a] Quam ego íllis posthac quód loquantur créduam:
[a] Qui in ré divina dúdum dicebánt mihi
[a] Malúm damnumque máxumum porténdier:
[a] Is éxplicavi meám rem postillá lucro.
[a] At te Iúppiter Pseud. 836
[a] Dique ómnes perdant cúm condimentís tuis
[b] Cumqué tuis istis ómnibus mendáciis.

Quibus omnibus ex versibus unus dissolutus est, plerique indissoluti. Qua de causa nemo erit qui neget Plautum versus eiusmodi diligentissime elaborasse. Praetermisi eos locos, quibus exsecratio non totum versum, sed partem minimam comprehendit.

Consideremus nunc versus bona a dis precantes.
[b] Di tíbi dent quaequomque óptes. Asin. 44
[c] Namque íta me di ament, út Lycurgus míhi quidem Bacch. 111
[b] Vidétur posse hic ád nequitiam addúcier.
[b] Ita dí deaeque fáxint. Capt. 172
[a] Dí te servassínt mihi. Cas. 324
[c] Deós volo bene vórtere Curc. 658
[b] Istám rem vobis. ‖ Ét ego nobis ómnibus:
[c] Tu ut hódie adveniens cénam des soróriam,
[aa] Hic núptialem crás dabit: promíttimus.
[bb] O múlta tibi di dént bona, Poen. 208
[c] Quom hoc mihi óptulisti tám lepidum spectáculum.
[bb] Di deaéque vobis múlta bona dent, quóm mihi Poen. 667
[c] Et béne praecipitis ét bonam praedám datis.
[b] Dí dent tibi omnes quaé velis. Poen. 1055
[a] At té di deaeque, quántumst — ‖ Servassínt quidem. Pseud. 37
[a] Di té mihi semper sérvent. verum sí potest, Pseud. 121
[cc] Pietátis caussa vél etiam matrém quoque.
[a] Dí duint Trin. 436
[b] Tibi, Phílto, quaequomque óptes.
[b] Di tíbi illum faxint fílium salvóm tuom, Vid. 86
[b] Qum míhi qui vivam cópiam | inopí facis.
[a] Sed quín accedat faénus, id non póstulo.

Hi versus sunt dissoluti: Aul. 496. Mil. gl. 570. Poen. 687; 1325 sq. Trin. 576.

Videmus poetam non eodem studio usum esse in his versibus compenendis, qui bona precantur a dis, atque quos antea attuli, quamquam elegantia quaedam etiam in his cognosci potest. Sed de hac minore cura admirari non possumus. Nam versus, qui exsecrationem continent, graviore pondere recitandi sunt, quam quibus bona omina

insunt. Hi dicuntur saepissime, qua re amittunt aliquid ponderis ipsius. Illi autem semper gravissime incedunt.

3. De iureiurando.

Iuppiter cum in Amph. fabula iram Alcumenae uxoris nullo modo lenire potuerit, iure iurando utitur dicens haec verba:
[a] Mane, árbitratu tuó ius iurandúm dabo, Amph. 931
[a] Me meám pudicam esse úxorem arbitrárier.
[b] Id égo si fallo, túm te, summe Iúppiter,
[a] Quaeso 'Amphitruoni ut sémper iratús sies.

Tres versus sunt indissoluti, unus est levis. Consideremus porro Labracem in Rud. fabula, cui Gripus dicit formulam. Sunt hi vv:
[a] Venus Cýrenensis, téstem te testór mihi, Rud. 1338
[b] Si vídulum illum, quém | ego in navi pérdidi,
[a] Cum auro átque argento sálvom investigávero
[aa] Isque ín potestatém meam pervénerit:
[a] ‖ „Tum egó | huic Gripo" |, ínquito et me tángito.[1]
[a] ‖ Tum egó | huic, Gripo díco, Venus, ut tu aúdias,
[c] Taléntum argenti mágnum continuó dabo.
‖ † Si fraudassis, díc ut te in quaestú tuo
[b] Venus éradicet cáput atque aetatém tuam.
[bb] Tecum hóc habeto támen, ubi iuráveris.
[a] ‖ Illaéc advorsum síquid peccassó, Venus,
[c] Venerór te ut omnes míseri lenonés sient.

Libanus dicit haec verba:
[aa] Sicút tuom vis únicum gnatúm tuae Asin. 16
[bb] Superésse vitae sóspitem et supérstitem,
[b] Ita téd obtestor pér senectutém tuam
[b] Perque íllam quam tu métuis uxorém tuam:
[b] Siquid med erga | hódie falsum díxeris,
[b] Ut tíbi superstes úxor aetatém siet
[a] Atque ílla viva vívos ut pestem óppetas.

Qui versus sunt partim indissoluti (2), partim leves (5), nullus est dissolutus. Quid? Num mirum est his tribus locis, quibus dei invocantur testes, omnes versus summa arte excultos esse? Mihi quidem perspicuum esse videtur versus, qui ius iurandum continent, grandi sono incedere. Neque alio modo Plautus hanc sollemnitatem acrius significare potuit quam elegantissima forma versuum. Sed colligamus similia exempla.
[a] per omnis deós adiuro, ut, ní meum Bacch. 777
[bb] Gnatúm tam amem atque ei fácta cupiam quae ís velit,

---

[1] cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 314.

[a] Ut túa iam virgis látera lacerentúr probe
[a] Ferrátusque in pistríno aetatem cónteras.
[b] Ita me Iúppiter Iunó Ceres — Bacch. 892
[aa] Minérva Lato Spés Opis Virtús Venus
[a] Castór Polluces Márs Mercurius Hércules
[aa] Summánus Sol Satúrnus dique omnés ament,
[bb] Ut ílle cum illa néque cubat neque ámbulat
[b] Neque aúsculatur néque illud quod dicí solet.
[c] Per deós atque homines égo te obtestor, Hégio, — Capt. 727
[b] Ne tu ístunc hominem pérduis.
[a] Decíde collum stánti, si falsúm loquor: — Merc. 308
[bb] Vel út sciaś me amáre, cape cultrum ác seca
[b] Digitúm vel aurem vél tu nassum vél labrum:
[aa] Sei móvero me séu secari sénsero,
[aa] Lysímache |, auctor sum út me amando | énices.
[b] At ita me di deaeque omnís ament, — Mil. gl. 501
[c] Nisi míhi supplicium vírgarum de té datur
[a] Longúm diutinúmque a mane ad vésperum:
[a] Quod meás confregisti ímbricis et tégulas,
[b] Ibi dúm condignam té sectaris símiam:
[b] Quodque índe inspectavísti meum apud me hóspitem,
[aa] Ampléxam amicam quom ósculabatúr suam:
[c] Quodque cóncubinam erílem insimulare aúsus es
[aa] Probrí pudicam méque summi flágiti:
[a] Tum quód tractavisti hóspitam ante aedís meas:
[c] Nisi míhi supplicium stímuleum de té datur,
[cc] Dedécoris pleniórem erum faciám tuom,
[a] Quam mágno vento plénumst undarúm mare.
[b] Id ita ésse ut credas, rém tibi auctorém dabo. — Trin. 107
[a] Nam póstquam hic eius rém confregit fílius
[b] Videtque ípse ad paupertátem prostratum ésse se
[aa] Suámque filiam ésse adultam vírginem,
[b] Simul éius matrem suámque uxorem mórtuam:
[bb] Quoniam hínc iturust ípsus in Seleúciam,
[a] Mihi cómmendavit vírginem gnatám suam
[c] Et rêm suam omnem et illúm corruptum fílium.
[c] Haec, sí mi inimicus ésset, credo haud créderet.
[c] Homo égo sum, homo tu's: íta me amabit Iúppiter, — Trin. 447
[c] Neque té derisum advénio neque dignúm puto.
[a] Verum hóc quod dixi meús me oravit fílius,
[aa] Ut tuám sororem póscerem uxorém sibi.

Non aliter res se habet, si quis commemorat ius iurandum, quod antea datum est. Duo exempla huius modi inveni in fabulis Plautinis, quae sunt haec:

[a] Exiúravisti té mihi dixe pér iocum. — Amph. fr. XI
[a] Quidnam ésse acturum hunc dícam vicinúm meum, — Pers. 400.
[a] Qui mihi iuratust sése hodie argentúm dare?
[c] Quod sí non dederit átque hic dies praetérierit,
[a] Ego árgentum, ille iús iurandum amiserit.

Quibus ex versibus unus dissolutus est, ceteri omnes sunt indissoluti. Atque mea quidem sententia sufficiunt haec duo exempla.

Antequam relinquo hanc quaestionem, quae tractat deos in fabulis Plautinis invocatos, cognoscendi sunt mihi hi versus:

[aa] Nunc túsculum emi hoc ét coronas flóreas: — Aul. 385
[a] Haec ímponentur ín foco nostró Lari,
[b] Ut fórtunatas fáciat gnatae núptias.
[a] Nunc ára Veneris haéc est ante horúnc fores: — Curc. 71
[a] Me inférre Veneri vóvi iaientáculum.
[a] ‖ Quid ánteponas Véneri iaientáculo?
[b] ‖ Me, te átque hosce omnis. ‖ Túm tu Venerem vómere vis.

Etsi Curc. vv. 72 et 73 corrupti sunt, tamen vv. dd. versus indissolutos restituerunt, sive legunt „iaientaculum“ sive „ieientaculum“ sive „iam ientaculum.“ Ex Aul. vv. 385 sqq. duo indissoluti sunt, unus est levis.

Neminem esse puto qui his permultis exemplis inspectis neget versus, qui quoquo modo invocant deos vel deum quendam, eleganter elaboratos esse, quoniam altiore sono recitari eos vult poeta.

4. De versibus, quos qui dicit, tamquam iurat per deos.

Klotz: „Grundzüge altrömischer Metrik“ p. 236 dicit:

> „Auch zeigen die alten Komiker wohl Sinn für die ethische Wirkung der Verbindung langer Silben, wie das z. B. die feierlich klingende Versicherung Mil. gl. v. 51 beweist“,

qui versus est hic:

[a] Commúnicabo sémper te mensá mea.

Atque fateor hunc versum, qui caret omnibus solutionibus, gratum auribus decurrere atque animos eorum, qui audiunt, vehementer commovere. Quamquam non appellatur nomen dei vel deae, tamen verba enuntiantur, quasi qui loquitur, per Iovem aut alium deum iuret. Quaeramus versus plures eiusmodi.

Diabolus adulescens magna cum sollemnitate dicit:

émori — Asin. 810
[a] Me málim, quam haec non éius uxori índicem.

Postquam in Capt. fabula Hegio comperit Philocratem dominum et Tyndarum servum inter se commutasse vestem et nomina, huic manus vehementer adstringi iubet. Tyndarus autem domino suo fidus est et altiore sono haec verba dicit:

[a] Si ego híc peribo, ast ílle ut dixit nón redit, Capt. 683
[c] At erít mi hoc factum mórtuo memorábile,
[b] Me méum erum captum ex sérvitute atque hóstibus
[c] Reducém fecisse líberum in patriam ád patrem,
[bb] Meúmque potius mé caput perículo
[a] Praeóptavisse quam ís periret pónere.

Cum Chalinus Olympioni crimini dederit, quod in urbem venisset, respondet hic:

[a] Praeféci ruri récte qui curét tamen. Cas. 105
[a] Ego húc quod veni in úrbem si impetrávero,
[a] Uxórem ut istam dúcam quam tu déperis,
[a] Bellam ét tenellam Cásinam, conservám tuam:
[b] Quando égo eam mecum rús uxorem abdúxero,
[a] Rure íncubabo usque ín praefecturá mea.

Ballio leno arroganter dicit:

(meque ut praedicet)
[a] Lenóne ex Ballióne regem Iásonem. Pseud. 193

Pseudolus illam „pugnam claram et commemorabilem", quam in v. 524 paucis verbis significavit, dilucide expedit:

[c] Em ab hoc lenóne vicinó tuo Pseud. 526
[aa] Per sýcophantiam átque per doctós dolos
[a] Tibícinam illam tuós quam gnatus déperit
[b] Ea circumducam lépide lenonem: ét quidem
[b] Efféctum hoc hodie réddam utrumque ad vésperum.

Caput II.

De versibus, qui affectum continent.

1. De gemitu vel luctu.

Pervenimus nunc ad versus, qui affectionem animi continent, atque primum ad eos, qui ut gemitum vel luctum exprimant, solutionibus carent. Huc maxime pertinent:

[c] Illést oneratus récte et plus iustó vehit. Bacch. 349
[a] Exórsa haec tela nón male omninó mihist,
[c] Ut amántem erilem cópem facerem fílium.
[b] Ita féci, ut auri quántum vellet súmeret,
[b] Quantum aútem lubeat réddere, ut reddát patri.
[aa] Senéx in Ephesum | íbit aurum arcéssere:
[c] Hic nóstra agetur aétas in malacúm modum,
[c] Siquidem hic relinquet néque secum abducét senex
[a] Med ét Mnesilochum. quás ego hic turbás dabo.

[aa] Sed quíd futurumst, quom hóc senex rescíverit?
[a] Quom se éxcucurrisse ílluc frustra scíverit
[a] Nosque aúrum abusos, quíd mihi fiet póstea?
[b] Credo hércle adveniens nómen mutabít mihi
[b] Faciétque extemplo Crúcisalum me ex Chrýsalo.
[c] Aufúgero hercle, sí magis usus vénerit.

Primum, i. e. in vv. 349—357, gaudet Chrysalus de dolo suo. Qui cum socordiam servi describant, non magna diligentia compositi sunt. Sed paullatim dubitare incipit, rectene fecerit. „Quid futurumst, quom hoc senex resciverit?" Exorditur igitur accuratior mensura. Iam v. 357 indissolutus est, quamquam dubitationes ei non insunt. Quae ubi afferuntur, versus summo studio expoliti sunt, i. e. vv. 358—361. Sed servus non laborat de futuro, atque v. 362 iam iocatur, qua de causa hic non eadem diligentia conformatus est.

Dum Chrysalus narrat, quo modo Mnesilochus aurum, quod acceperit ab Archidemide hospite, amiserit, Nicobulus interdum gemitu sensus animi exprimit:

[aa] Decéptus sum: Autolyco hóspiti aurum crédidi. Bacch. 275
[b] Adeón me fuisse fúngum, ut qui illi créderem, Bacch. 283
[a] Quom mi ípsum nomen éius Archidémides
[a] Clamáret dempturum ésse, si quid créderem?

Atque postquam Chrysalus narrare desiit, breviter gemit:

[b] Censébam me effugisse a vita márituma, Bacch. 342
[a] Ne návigarem tándem hoc aetatís senex.
[aa] Id mi haúd utrum velím licere intéllego:
[b] Ita béllus hospes fécit Archidémides.

Omnes versus sunt indissoluti vel leves. Quid multa? Satis est colligere versus eiusdem coloris.

[a] Tune és adiutor núnc amanti fílio? Asin. 57
[aa] || Sum véro, et alter nóster est Leónida.
[a] Fidé censebam máxumam multó fidem Aul. 667
[b] Esse: éa sublevit ós mihi paeníssume.
[b] Ni súbvenisset córvos, periissém miser.
[bb] Inimíciorem núnc utrum credám magis Bacch. 500
[a] Sodálemne esse an Bácchidem incertum ádmodumst.
[c] Illum éxoptavit pótius? habeat: óptumum est.
[a] Ne illa íllud hercle cúm malo fecit suo:
[a] Nam mihi divini númquam quisquam créduat,
[a] Ni ego íllam exemplis plúrumis planéque — amo.
[b] Ego fáxo hau dicet náctam quem derídeat.
[a] Quid vós maestos tam trístisque esse cónspicor? Bacch. 669
[a] Sémper sensi fílio Capt. 140
[a] Meo te ésse amicum et illum intellexí tibi.
[a] Quod ábsque hoc esset, quí mihi hoc fecít palam, Capt. 754

[a] Usque óffrenatum suís me ductarént dolis.
[a] Nunc cértumst nulli pósthac quicquam crédere:
[b] Satis súm semel decéptus. speraví miser
[a] Ex sérvitute me éxemisse fílium:
[a] Ea spés elapsast. pérdidi unum fílium,
[b] Puerúm quadrimum quém mihi servos súrpuit,
[c] Neque eúm servom umquam répperi neque fílium:
[cc] Maiór potitus hóstiumst. quod hoc ést scelus?
[bb] Quasi in órbitatem líberos prodúxerim.
[a] Sortí sum victus: Cásina nubet vílico. Cas. 428
[a] Iam hórret corpus, cór salit: Cist. 551
[c] Nam míhi ab hippodromo mémini adferri párvolam
[aa] Puéllam eamque mé mihi suppónere.
[c] Nunc hínc parasitum in Cáriam misí meum Curc. 67
[a] Petítum argentum a meó sodali mútuom:
[a] Quod sí non affert, quó me vortam néscio.
[c] Misérior mulier mé nec fiet néc fuit, Merc. 700
[cc] Talí viro quae núpserim. heu miseraé mihi.
[c] Em, quoí te et tua quae tu hábeas commendés viro.
[aa] Em, quoí decem talénta dotis détuli,
[a] Haec út viderem, ut férrem has contumélias.
[a] Deféssus sum urbem tótam pervenárier: Merc. 805
[b] Nil ínvestigo quícquam de illa múliere.
[bb] Ita súm coactus, Périplecomene, ut nésciam, Mil. gl. 514
[a] Utrúm me expostuláre tecum aequóm siet,
v. 516 corruptus est
[bb] Me expúrigare haec tíbi videtur aéquius:
[bb] Sicút etiam nunc néscio quid víderim:
[b] Itást ista huius símilis nostraí tua,
[c] Siquidém non eademst.
[aa] Necéssitate mé, mala ut fiám, facis. Pers. 382
[a] Quin tú me ducis, síquo ducturú's, pater? Pers. 397
[c] Vel tú me vende vél me face quid tíbi lubet.
[b] Illéquidem iam scit quíd negoti gésserit, Pers. 714
[a] Qui míhi furtivam meó periclo véndidit.
[c] Argéntum accepit, ábiit: qui | ego núnc scio,
[aa] An iam ádseratur haéc manu? quo illúm sequar?
[a] In Persas? nugas.
[a] Quid ést, fratris mei gnáte? quid vis? éxpedi. Poen. 1196
[a] Cape hás tabellas: túte hinc narrató tibi, Pseud. 20
[bb] Quae mé miseria et cúra contabéfacit.
[b] Misér sum: argentum núsquam invenio mútuom — Pseud. 80
[aa] || Eheú. || neque intus númmus ullus ést, || Eheu.
[b] || Ille ábducturus ést mulierem crás. || Eheu.

[a] Profécto nullo pácto possum vívere, Pseud. 94
[b] Si illa á me abalienátur atque abdúcitur.
[b] || Quid flés, cucule? vives. || Quid ego ní fleam,
[aa] Quoi néc paratus númmus argenti siet
[b] Neque libellai spés sit usquam géntium?
[a] || Ut lítterarum ego hárum sermonem aúdio,
[c] Nisi tu ílli dacrumis fléveris argénteis,
[b] Quod tu ístis lacrumis té probare póstulas,
[a] Non plúris refert quám si imbrem in cribrúm legas.
[aa] Atque id futurum unde únde dicam néscio, Pseud. 106
[cc] Nisi quía futurumst: íta superciliúm salit.
[a] In té nunc omnes spés sunt aetatí meae. Pseud. 111
[c] Postquam íllic hinc abiit, tu ástas solus, Pseúdole. Pseud. 394
[a] Quid núnc acturu's, póstquam erili fílio
v. 396 corruptus est
[b] Si dé damnoseis aút si de | amatóribus Pseud. 415
[a] Dictátor fiat núnc Athenis 'Atticis,
[bb] Nemo ánteveniat fílio credó meo.
[bb] Ita núnc per urbem solus sermoni ómnibust,
[aa] Eum vélle amicam líberare et quaérere
[a] Argéntum ad eam rem.
[a] Quid si hísce inter se cónsenserunt, Cállipho, Pseud. 539
[b] Aut dé conpecto fáciunt consutís dolis . . .
[a] Cor cónligatis vásis expectát meum, Pseud. 1033
[b] Si nón educat múlierem secúm simul,
[cc] Ut éxulatum ex péctore aufugiát meo.
[a] Ne plóra: nescis út res sit Phoenícium, Pseud. 1038
[a] Verum haúd multo post fáxo scibis áccubans.
[b] Non égo te ad illum dúco dentatúm virum
[a] Macédoniensem, quí te nunc flentém facit:
v. 1042 corruptus est
[a] Calidórum haud multo póst faxo amplexábere.
[aa] Eheú, Palaestra atque 'Ampelisca, ubi éstis nunc? Rud. 512
[b] Eheú, quis vivit mé mortalis miserior? Rud. 520
[bb] Eheú, redactus sum úsque ad unam hanc túniculam, Rud. 549
[bb] Et ad hóc misellum pállium: perii óppido.
[c] Nunc sí me adulescens Plésidippus víderit, Rud. 554
[aa] Quo ab árrabonem pró Palaestra accéperam,
[aa] Iam is éxhibebit híc mihi negótium.
[b] Eheú, scelestus gáleam in navi pérdidi: Rud. 801
[a] Nunc mi ópportuna hic ésset, salva sí foret.
[b] O Grípe Gripe, in aétate hominum plúrumae Rud. 1235
[c] Fiúnt transennae, | úbi decipiuntúr dolis.

[b] Atque édepol[1]) in eas plérumque esca inpónitur,
[bb] Quam síquis avidus póscit escam aváriter,
[cc] Decípitur in transénna avaritiá sua.
[b] Ille quí consulte, dócte atque astuté cavet,
[bb] Diútine uti béne licet partúm bene.
[aa] Mihi istaéc videtur praéda praedatum írier,
[aa] Ut cúm maiore dóte abeat quam advénerit.
[c] Egone út quod ad me allátum esse alienúm sciam
[c] Celém? minume istuc fáciet noster Daémones.
[b] Sempér cavere hoc sápientis aequíssumumst,
[b] Ne cónscii sint ípsi maleficís suis.
[a] Scio átque in cogitándo maerore aúgeor: Stich. 55
[b] Nam própe modum iam osténdit suam senténtiam.
[b] Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere Trin. 998
[a] Vidétur tempus vénisse atque occásio.
[b] Iam dúdum meum ille péctus pungit áculeus,
[c] Quid illí negoti fúerit ante aedís meas.
[c] Nam epístula illa míhi concenturiát metum
[aa] In córde et illud mílle nummum, quám rem agat.
[aa] O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles, Trin. 1094
[b] Qualíne amico méa commendaví bona?
[aa] Credo ómnia istaec, sí | itast ut praédicas. Trin. 1098
[aa] Tu núnc superstes sólus sermoní meo's, Truc. 387
[c] Tibi méa consilia sémper summa crédidi.
[a] Quid mé futurumst, quándo miles vénerit? Truc. 417
[a] Relíctusne abs te vívam?
[aa] Quid múlta verba? plúrumum luctávimus. Vid. 102

Haec quidem de versibus cum gemitu vel lacrimis recitatis. Quibus solutiones inesse non posse luce clarius est, ut statim pergere possimus in afferendis exemplis et in investigandis artificiis.

Nonnullos versus, cum habeant similem sonum, hoc loco tractabo. Lydus dicit:

[a] Valéns afflictat mé vacivom vírium. Bacch. 154

Quid? Nonne virium defectionem ex versu ipso audimus? Parasitus dicit in Asin. fabula:

[a] Horréscet faxo léna, leges quom aúdiet. Asin. 749

Horridum sane quidem hunc versum est et loqui et audire.

[c] Volo mé patris mei símilem, qui causá mea Asin. 68
[a] Nauclérico ipse ornátu per falláciam
[b] Quam amábam abduxit áb lenone múlierem.
[b] Neque iám quo pacto célem erilis fíliae Aul. 74
[aa] Probrúm, propinqua pártitudo quoi áppetit

[1]) de „edepol“ cf. p. 62 sq.

[a] Queo cómminisci.
[b] Uxórem quoque ipsam | hánc rem uti celés face. Trin. 800
[a] Nam pól tacere númquam quicquamst quód queat.

Neminem esse puto quin sentiat, quo modo structuram versuum poeta sententiae accommodaverit.

2. De laetitia vel gaudio.

Ex fragmentis tragicorum Romanorum unum exemplum attuli, quod, ut gaudium exprimatur, elegantioris structurae esse putavi. Quod non sufficit. Qua de causa versus eiusmodi Plautinos consideremus. Strobilus servus insidias dat in Aul. fabula auro Euclionis senis. Sed nescit, quo hic pecuniam abstruserit. Subito eum thesaurum ecferentem videt atque audit, quo ille eum laturus sit. Gaudet igitur his verbis:

[a] Euge, eúge, di me sálvom et servatúm volunt, Aul. 677

i. e. versu indissoluto. Tum inspiciamus scaenam illam Rud. fabulae, ubi Sceparnio servus narrat duas mulierculas ad litus appellere:

[a] euge, euge, pérbene, Rud. 164
[a] Ab sáxo avortit flúctus ad litús scapham.
[c] Nequé gubernator úmquam potuit réctius.
[a] Non vídisse undas mé maioris cénseo.
[a] Salvaé sunt, si illos flúctus devitáverint.
v. 169 corruptus est
[b] At ín vadost: iam fácile enabit. eúgepae:
[bb] Viden álteram illam ut flúctus eiecít foras?
[aa] Surréxit, horsum sé capessit: sálva res:
[bb] Desíluit haec autem áltera in terram é scapha.
[bb] Ut praé timore in génua in undas cóncidit.
[a] Salvást: evasit éx aqua: iam in lítorest.

Quibus versibus inest interiectio „euge“ vel „eugepae“. Itaque afferamus similia.

[a] Euge, Phílolaches Most. 638
[b] Patríssat: iam | homo in mércatura vórtitur.
[a] Me dícit: eugae. Pers. 90
[c] Euge, Ságarine, lepidíssume: Stich. 660
[a] Feró convivam Díonysum mihique ét tibi.
[a] euge, eúge: sic furí datur. Stich. 766

Nicobulus gaudet de adventu filii:

[a] Eúax, aspersísti aquam. Bacch. 247

Pseudolus exclamat:

[a] Victór sum: vici caútos custodés meos. Pseud. 1037

Eandem laetitiam continent hi loci:

[b] Amóvi a foribus máxumam moléstiam, Amph. 464

[a] Patri út liceret túto illam amplexárier.
[a] Non ésse servos péior hoc quisquám potest Asin. 118
[b] Nec mágis vorsutus néc quo ab caveas aégrius.
[b] Eidem hómini, siquid récte curatúm velis,
[b] Mandés: moriri sése misere mávolet,
[a] Quam nón perfectum réddat quod promíserit.
[b] Nam ego ílluc argentum tám paratum fílio
[aa] Scio ésse quam me hunc scípionem cóntui.
[aa] Negótium hoc ad me ádtinet aurárium. Bacch. 229

Bacch. vv. 349 sqq. iam supra (p. 34 sq.) exscripsi, ut hoc loco eos neglegere possim.

[a] Insánum magnum mólior negótium Bacch. 761
[c] Metuóque ut hodie póssiem emolírier.
[c] Sed núnc truculento mihi átque saevo usús senest.
[a] Nam nón conducit húic sycophántiae
[a] Seném tranquillum | ésse, ubi me aspéxerit.
[b] Versábo ego illunc hódie, si vivó, probe.
[a] Tam fríctum ego illum réddam quam frictúmst cicer.
[aa] Adámbulabo ad óstium, ut, quando éxeat,
[b] Extémplo advenienti eí tabellas dem ín manum.
[a] Salvós sum: iratus ést senex. nunc ést mihi Bacch. 772
[b] Adeúndi ad hominem témpus.
[a] Nunc áb trasenna hic túrdus lumbricúm petit: Bacch. 792
[bb] Pendébit hodie púlcre, ita intendí tenus.
[a] Curátumst — esse té senem misérrumum. Bacch. 1067
v. 1068 corruptus est
[bb] Evénit, ut ovans praéda onustus céderem.
[aa] Salúte nostra atque úrbe capta pér dolum
[aa] Domúm reduco | íntegrum omnem exércitum.
[bb] Ut saépe summa ingénia in occultó latent: Capt. 165
[a] Hic quális imperátor nunc privátus est.
[a] Facéte dictum: séd si pauxilló potes Capt. 176
[a] Conténtus esse.
[a] Salvós sum: salva spés est, ut verba aúdio. Cas. 312
[c] Sed sí nunc facere vólt era officiúm suom, Cas. 508
[a] Nostra ómnis lis est: púlcre praevortár viros.
[a] Nostro ómine it diés: iam victi vícimus.
[a] Fit quód futurum díxi: incenatúm senem Cas. 788
[b] Forás extrudunt múlieres.
[aa] Quod quaéritabam, fíliam inveni meam. Cist. 759
[cc] Nullum ésse opinor égo | agrum in agro | 'Attico Epid. 306
[a] Aequé feracem quam híc est noster Périphanes.
[a] Quin éx occluso atque óbsignato armário
[b] Decútio argenti tántum quantum míhi lubet.

[a] Emptást amica clam úxorem et clam filium. Merc. 545
[b] Modo íntellexi quám rem mulier gésserit: Mil. gl. 867
[b] Quia Scéledrus dormit, húnc subcustodém suom
[b] Foras áblegavit, dum áb se huc transirét. placet.
[aa] Attát, oblitus sum íntus dudum edícere Pers. 722
[b] Quae vólui edicta.
[c] gaúdeo et volup ést mihi, Poen. 1326
[a] Siquíd lenoni | óptigit magní mali,
[a] Quomque é virtute vóbis fortuna óptigit.
[a] Ut fórtunati súnt fabri ferrárii, Rud. 531
[a] Qui apúd carbones ádsident: sempér calent.
[bb] Em | istíc oportet ópseri morés malos, Trin. 531
[a] Si in ópserendo póssint interfíeri.
[b] Heus tu, ín barbaria quód dixisse dícitur Faeneratrix fr. I
[bb] Libértus suae patrónae, id ego dicó tibi:
[a] „Libértas salve: vápula Papíria".

3. De stupore vel admiratione.

Pistoclero adulescenti, qui Lydum servum „Lyde" i. e. nomine suo allocutus est, hic stupefactus dicit:

[c] Illuc sís vide: Bacch. 137
[a] Non paédagogum iám me, sed Lydúm vocat.

v. 138, ut omittam illam partem v. 137, omnibus solutionibus caret. Sermo deinceps incidit de amica et osculis et convivis; primum interrogat servus:

[a] An hóc ad eas res ópsonatumst, óbsecro? Bacch. 143

et tum:

[a] Tu amícam habebis? Bacch. 145

Paulo post Chrysalus servus, qui Epheso in patriam revertit, primum Pistoclero, tum Nicobulo seni, patri Mnesilochi, occurrit, qui interrogat, „quid hoc sit qua de causa filium in Ephesum miserit", acceperitne aurum „ab hospite Archidemide". Sed servus miratur:

[aa] Tun hóspitem illum nóminas hostém tuom? Bacch. 253

Nicobulus autem:

[b] Quid ita, óbsecro hercle?

Atque quod Chrysalus dicit:

Quia edepol certo scio, Bacch. 254
Volcanus, Luna, Sol, Dies, dei quattuor,
Scelestiorem nullum inluxere alterum,

obstupefacit senes:

[a] Quamne 'Archidemidém? || Quam, inquam, Archidémidem.
[a] || Quid fécit? || Quid non fécit. Quin tu id mé rogas?

Producitur argumentum: Chrysalus ludificat Nicobulum de auro, Mnesilochus pro stultitia sua pecuniam reddit patri, servus in periculo est, ne vinciatur. Sed auxilium adest: servus monstrat seni filium, qui in lecto Bacchidis est, atque Cleomachum militem, qui tunc procedit, virum illius mulieris esse dicit.

[a]Quid, vír? || Vir, inquam. || Núptast illa, | óbsecro?

interrogat senex stupefactus in v. 852.

Quid opus sunt plura? In promptu est stuporem vel admirationem versibus perpolitioris formae poetam expressisse. Non alia nisi gravissima exempla unius fabulae usque adhuc exscripsi atque expedivi. Ne longus sim, nunc similia conferam atque primum eandem fabulam pertractabo.

[aa]Qui scíre possum? || Núllus plus. || Quemnam ád modum? Bacch. 190
Rogas? Bacch. 206
[aa]Immo únice unum plúrimi pendit.
Rogas? Bacch. 216
[a]Ni nánctus Venerem essem, hánc Iunonem dícerem.
[aa]Quid haé locuntur lítterae? || Quid mé rogas? Bacch. 801
[b]Ut ab íllo accepi, ad te óbsignatas áttuli.
[a]Estne ístuc istic scríptum? Bacch. 1023
[cc]Ain tu? ápud amicam múnus adulescéntuli Asin. 812
[a]Fungáre, uxori excúses te et dicás senem?
[c]Praerípias scortum amánti atque argentum óbicias
[a]Lenaé? suppeiles clám domi uxorém tuam?
[c]Quid deósculare? quaé res? quae voluptás tua? Cas. 454
[a]Licétne amplecti té? || Quid „amplectí“? || Licet. Cas. 457
[a]Quid quód iuratus súm? || Quid id refért tua, Curc. 459
[b]Dum argéntum accipias?
[a]Numquíd dixisti de íllo quod dixí tibi? Most. 548
[a]Iamne ítis? quid, quod vóbeis mandavi, hóspites? Poen. 678
[c]Nam quém | ego adspicio? pró supreme Iúppiter, Poen. 1122
[c]Erús meus hicquidemst meárum alumnarúm pater,
[a]Hannó Carthaginiénsis. || Ecce autém mala.
[aa]Praestrígiator híc quidem Poenús probust:
[aa]Perdúxit omnis ád suam senténtiam.
[c] Haécine meae sunt fíliae? Poen. 1166
[a]Quantae é quantillis iám sunt factae.
(Quidnam dicam Pinacium)
[a]Lascívibundum tám lubenter cúrrere? Stich. 288[b]
[c]Quid hoc ést negoti? quíd ego deliquí? Capt. 660

Hoc ultimum exemplum ea de causa minore diligentia factum esse puto, quod Tyndarus, dum loquitur, se defendit ab lorariis, qui eum capturi atque vincturi sunt. Neglegere non possum hos locos:

[a]Mirúm quid solus sécum secreto ílle agat. Amph. 954
[a]Demíror, quid sit ét quo evadat sum ín metu. Asin. 51
[a]Sed míror, qui ille nóverit nomén meum. Men. 337
[a]Sed Grípus servos nóster quid rerúm gerat Rud. 897
[b]Mirór, de nocte qui ábiit piscatum ád mare.
[a] nondum egressum ésse eum, id mirór tamen. Rud. 1201
[a] miror quíd siet: Stich. 268
[a]Nisi út periclum fíat visam quíd velit.

Ut summam faciam, stuporem vel admirationem acutioribus numeris recitari vult Plautus, qua de causa versus eiusmodi elegantissime elaboravit.

Caput III.

De versibus, quibus inest figura rhetorica.

1. De exclamatione.

Ad reliqua progrediamur atque paullatim ad finem huius partis accedamus. Nam pauca dicenda sunt de versibus alto sono recitatis. Labrax leno dicit:

[a]O scírpe, scirpe, laúdo fortunás tuas, Rud. 523
[a]Qui sémper servas glóriam artitúdinis.

Quae exclamatio summa diligentia expolita est. cf. similia.

[a] Ó Strobile súbdole, Aul. 334
[b]Hucíne detrusti me ád senem parcíssimum?
[a] o Lyde, es bárbarus. Bacch. 121
[a]O praéligatum péctus. Bacch. 136
[a]O stúlte, stulte, néscis nunc veníre te. Bacch. 814
[b]O cárnuficium críbrum, quod credó fore. Most. 55
[a]O Sáturio, opportúne advenistí mihi. Pers. 101
[b]Ὦ Ζεῦ, quam pauci | éstis homines cómmodi: em Pseud. 443
[bb]Illic ést pater, patrem ésse ut aequomst fílio.
[b]O fórtunate, cédo fortunatám manum. Pseud. 1065
[a]Sed ó Palaemon, sáncte Neptuní comes. Rud. 160

Rud. vv. 1235 sq. (p. 37); Trin. vv. 1094 sq. (p. 38). Porro permulti versus, quos iam in capite praecedente exscripsi, exclamationem continent, ut iterum eos afferre opus non sit. Atque etiam ex his exemplis videmus Plautum versus huius modi diligentissime formavisse.

2. De chiasmo.

Euclio senex narrans se ad macellum venisse et pisces rogitasse dicit:

índicant Aul. 373
[a] Carós: agnimam cáram, caram búbulam.

In altero igitur versu verba ex diverso collocata sunt. Atque videmus etiam apud Plautum hanc figuram rhetoricam diligentiorem structuram versuum efficere (cf. supra p. 20). Quod mirum non est, quoniam collocatio verborum iam artificiosa est, quae exprimitur etiam compositione metrica. Sed plura exempla afferamus.

[bb] Fabricáre quidvis, quídvis comminíscere. Asin. 102
[b] Superi íncenati súnt et cenati ínferi. Aul. 368
[c] Soleárii astant, ástant molocinárii, Aul. 514
[a] Petúnt fullones, sárcinatorés petunt,
[c] Strophiárii astant, ástant semisonárii.

Versus dissoluti facile excusari possunt, quoniam permultae voces novae eis insunt.

[aa] Pro ré nitorem et glóriam pro cópia. Aul. 541
[a] Haec rés agetur nóbis, vobis fábula. Capt. 52
[b] Prognátum genere súmmo et summis dítiis. Capt. 170
[b] Seni nóstro et nostro Olýmpioni vílico. Cas. 762
[a] Abi átque hastatos múltos, multos vélites. Cist. 287

Cist. v. 551 cf. supra p. 36.

[a] Valétudo decréscit, adcrescít labor. Curc. 219
[a] Argéntum des lenóni, huic des vírginem. Curc. 436
[bb] Cedo faénus, redde faénus, faenus réddite. Most. 603
[aa] Det álteram illi |, álteram dicát tibi Trin. 776
[b] Dare sése velle.

3. De pari collocatione.

Non minus artificiosa est illa compositio, quae si adhibetur, omnia verba inter se respondent. Quam, ut supra dixi (p. 20), Graeci nominant *παράλληλον*. Atque poetam etiam hanc artem collocationis verborum detulisse ad structuram metricam facile cognosci potest. Qua de causa exempla afferamus.

[aa] Nam nóster nostrae quíst magister cúriae. Aul. 107
[a] Nisi eám mature pársit, mature ésurit. Curc. 381
[b] Lumbí sedendo, | óculi spectandó dolent. Men. 882
[a] Cepí tabellas, cónsignavi clánculum, Mil. gl. 130
[b] Dedi mércatori quoídam.
[a] Cognátos persuadére, amicos cógere. Mil. gl. 1119
[a] Te vólt, te quaerit téque exspectans expetit. Mil. gl. 1386
[a] Datúr faenus mihi? ‖ Faénus illic, faénus hic. Most. 605
[b] Si béne dicetis, vóstra ripa vós sequar: Poen. 631
[c] Si ḿale dicetis, vóstro gradiar límite.
[a] Repénte exortus súm, repentino óccidi. Pseud. 39

[a] Occísast haec res, haéret hoc negótium. Pseud. 423
[a] Gestóres linguis, aúditores aúribus. Pseud. 429
[a] Qui fálsas litis fálsis testimóniis. Rud. 13
[a] Si | íncrebravit, ípsus gaudet, rés perit.[1]) Truc. 50a

4. De allitteratione.

In fragmentis fabularum incertarum Plautinarum hic versus iambicus senarius invenitur (XXVIII):

[aa] In péllibus perículum proténditur.

Cuius omnes voces praeter primam ab eadem littera *p* incipiunt Sed exstat quaestio, num hic versus a Plauto ipso formatus sit, quoniam permultae fabulae falso ei adscriptae sunt. Qua de causa consideremus eas, quas revera Plautinas esse Varro testatus est.

[a] Ut híc sit secum, se ádiuvet, secúm cubet. Cas. 482

Et hic pleraque verba a littera *s* incipiunt. Porro ad hanc paragraphum pertinent:

[a] Ut vós in vostris vóltis mercimóniis. Amph. 1
[a] Profécto percontánti quin promam ómnia. Asin. 26
[a] Edepól mortalem párce parcum praédicas. Aul. 314
[b] Pulméntum pridem | huíc eripuit míluos[2]): Aul. 316
[a] Homo ád praetorem plórabundus dévenit:
[c] Infít ibi postuláre, plorans, éiulans.
[a] Ibo ád te fretus tuá, Fides, fidúcia. Aul. 586
[a] Pacísci cum illo paúlula pecúnia Bacch. 865
Potés.
[aa] Abeó. valete, iúdices iustíssumi Capt. 67
[a] Domí duellique duéllatores óptumi.
[b] Satis ést — numquam postílla possis préndere. Capt. 118
[a] ‖ Omnís profecto líberi lubéntius
[b] Sumus quám servimus.
[b] Satór sartorque scélerum et messor máxume? Capt. 661
[b] Coníciam sortis ín sitellam et sórtiar. Cas. 342
[a] Neque úsquam ludos tám festivos fíeri Cas. 760
[c] Quam hic íntus fiunt lúdi ludificábiles.
[b] Senex ín culina clámat, hortatúr coquos. Cas. 764
[bb] Vilícus is autem cúm corona cándide. Cas. 767
[b] Quaesívi et dixit: méretrici Melaénidi. Cist. 575
[b] Eam póstquam peperit, iússit parvam próici. Cist. 618
[a] Quid núnc supina súsum caelum cónspicis? Cist. 622
[aa] Senéx, tibi os est súblitum plane ét probe. Epid. 491

---

[1]) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus" p. 314.
[2]) cf. Birt l. l. p. 355.

[b] Non pótuit paucis plúra plane próloquei. Men. 252
[b] Prandí, potavi, scórtum accubui |: ápstuli. Men. 476
[a] Ecastór minus Merc. 716
[b] Quam urbáni: et multo mínus mali quaerúnt sibi.
[b] Parátae insidiae súnt: in statu stát senex. Mil. gl. 1389
[a] ego íre in Piraeúm volo Most. 66
[aa] In vésperum paráre piscatúm mihi.
[a] huc concéssero, Most. 687
[aa] Dum míhi senatum cónsili in cor cónvoco.
[b] Lenónis huius méretricem maiúsculam. Poen. 155
[a] Trecéntos nummos Phílippos portat praésidi. Poen. 670
[cc] Eheú, quom ego habui | háriolos harúspices, Poen. 791
[b] Qui síquid boni promíttunt, perspisso évenit:
[a] Id quód mali promíttunt, praesentáriumst.
[b] Si plácuit, plausum póstulat comoédia. Poen. 1371
[b] Suom síquid sumet, íd tu sinito súmere: Pseud. 861
[a] Si nóstrum sumet, tú teneto altrínsecus.
[aa] Si iste íbit, ito: stábit, astató simul.
[a] Si cónquiniscet ístic, conquiníscito.
[b] Nam ego íta convivis cénam conditám dabo. Pseud. 881
[a] Minaé viginti sánae et salvae súnt tibi. Pseud. 1068
[a] Eiús sum civis cívitate caélitum. Rud. 2
[a] Qui hic lítem apisci póstulant peiúrio. Rud. 17
[bb] Videó sedentis ín scapha solás duas. Rud. 163
[a] Quis céna poscit? écqui poscit prándio? Stich. 222
[aa] Vidéte, quaeso, quíd potest pecúnia. Stich. 410
[aa] Certúmst amicos cónvocare, ut cónsulam. Stich. 503
[b] Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum. Trin. 1004
[a] Lubéns heia hoc est mélle dulci dúlcius. Truc. 371

Haec sunt exempla elegantissimae formae. Nunc afferam alia, in quibus si non omnia verba, at tamen nonnulla ab eadem littera incipiunt. Quae maximam partem aut iam supra exscripsi aut postea tractabo: Amph. 954 (p. 43); Asin. 17 (p. 31), 121 (p. 40); Aul. 75 (p. 38), 80, 91sq., 107 (p. 44), 112, 365sq., 501, 556, 559, 677 (p. 39); Bacch. 136 (p. 43), 271, 281, 283 (p. 35), 286, 288, 337, 761 (p. 40), 772 (p. 40), 814 (p. 43); Capt. 171, 176 (p. 40), 367, 729, 755 (p. 36), 757sq. (p. 36); Cas. 312 (p. 40), 509 (p. 40), 778sq.; Cist. 201sq., 280, 560sq., 747sq., 754; Curc. 35, 53, 55sq., 74 (p. 33); Epid. 403; Men. 235, 560; Merc. 225sq., 311 (p. 32), 703 (p. 36); Mil. gl. 130 (p. 44); Most. 55 (p. 43), 486; Pers. 675; Poen. 137, 708, 1325 (p. 30); Pseud. 94 (p. 37), 101 (p. 37), 423 (p. 45), 1037 (p. 39), 1040 (p. 37); Rud. 153, 168 (p. 39), 531sq. (p. 41), 1338 (p. 31); Stich. 203sq., 411sq., 423; Trin. 44, 531 (p. 41), 798sq., 801 (p. 39); Truc. 35, 412sq.

5. De annominatione.

Ad extremum nonnullos versus afferam, qui praebent „annominationem“ illam, de qua figura supra (p. 21) egi. Nam si perlegimus hos versus:

[b] Iustám rem et facilem esse óratam a vobís volo: Amph. 33
[a] Nam iúste ab iustis iústus sum oratór datus:
[a] Nam iniústa ab iustis ímpetrari nón decet,
[c] Iusta aútem ab iniustís petere insipiéntiast:
[b] Quippe ílli iniqui iús ignorant néque tenent,

a Mercurio deo, qui prologum dicit, in syllaba *iust-* ludi videmus. Versus uno excepto diligentissime conformati sunt. Qua de causa fabulas perquiramus similia colligentes.

[b] Haud dórmitandumst: ópus est chryso Chrýsalo. Bacch. 240
[a] Abi hínc sis ergo, péssumarum péssuma. Cas. 793
[aa] Quin ímus ergo? ‖ I, bélle belliátula. Cas. 854
[a] Abi átque hastatos múltos, multos vélites, Cist. 287 (de
[a] Multós cum multis — níl moror precário. 287 p. 44)
[a] Et líbertatem et múltas gratas grátias. Poen. 134
[a] Gerraé germanae | haé decollyraé lyrae.[1] Poen. 137 (p. 46)
[a] Praesénsit: nil est praédae praedatóribus. Pseud. 426
[bb] Iterum ílle eam rem iúdicatam iúdicat: Rud. 19
[a] Maióre multa múltat quam litem aúferunt.
[aa] Praeda ípsus esset: praéda praedam dúceret. Rud. 1262
[b] Prostíbilest tandem? stántem stanti sávium Stich. 765
[bb] Dare amícum amicae? euge eúge: sic furí datur.
[a] Censétur censu ad ʹAcheruntem mórtuos. Trin. 494
[a] De vóstris magnis átque amoenis moénibus. Truc. 2
[a] Qui nóstrae aetati témpestivo témperint. Truc. 61

Haec habui quae dicerem de versibus, qui ad augendum tragicum dicendi genus diligentius elaborati sunt. Plerumque res ipsa postulat altiorem sonum, qui exprimitur elegantiore structura. Vidimus primum studuisse poetam versibus componendis, quibus inest invocatio deorum. Estne quisquam qui putet versum eiusmodi continere posse permultas solutiones? Mea quidem sententia hoc fieri non potest, quoniam versus hoc modo conformatus non bene enuntiatur neque enuntiari potest. Idem de versibus dicendum est, qui exprimunt motum quendam animi: luctum, laetitiam, stuporem. Neque figurae rhetoricae, quas ad extremum attuli, quoniam, ut supra iam dixi, per se ipsas artificiosae sunt, aliam structuram admittere possunt nisi artifisiosam, i. e. non alios versus nisi optime elaboratos. At tamen si invenitur versus laxioris formae, regula non deletur. Plautus enim poeta est, i. e. licentiam sibi reservavit.

[1]) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus“ p. 64.

Altera pars.

De versibus, qui ad arrigendas aures sive histrionum sive spectatorum maiore diligentia conformati sunt.

In hac parte quaestionis, ut iam in praefatione exposui, agam de versibus, qui ut gravissime aures audientium commoverent, artificiose, i. e. quam minimis solutionibus conformati sunt. Nam quo gravius versus dicuntur, eo vehementius animos eorum arrigunt, ad quos directi sunt. Atqui qua re gravitas illa magis ostenditur quam arte exactissima, qua versus elaborati sunt? Si insunt eis permultae solutiones, statim omnes sentiunt illum, qui loquitur, minus constantem atque inopem consilii esse. Qua de causa satis superque apparet versus eiusmodi solutionibus carere.

Sed nunc perveniamus ad rem ipsam atque primum versus consideremus, quibus quis vituperatur.

Caput I.

De versibus, quibus insunt indignationes.

1. De irrisione.

Tyndarus appellatus:

Sator sartorque scelerum ut messor maxume (p. 45)

dicit:

[a] Non óccatorem dícere audebás prius? Capt. 662
[c] Nam sémper occant príus quam sariunt rústici.

Porro Hegio senex Chrysalo ad haec verba:

Age sis, roga emptum: nisi qui meliorem adferet Capt. 179
Quae mihi atque amicis placeat condicio magis,
Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus

respondet:

[a] Profúndum vendis tú quidem, haud fundúm, mihi. Capt. 182

Cum Nicobulus epistulam alteram perlegat, quam Chrysalo auctore Mnesilochus, filius eius, scripserat, ut pecuniam acciperet, servus intericit:

[b] Eadem ístaec verba dúdum illi dixi ómnia. Bacch. 1018

Paulo antea idem servus ludificaverat Nicubulum de auro, quod ut peteret ab Archidemide hospite, filius huius Ephesum missus erat, cum dicit illum apud Theotimum Ephesium pecuniam deponere coactum esse, quod ab hospite auro insidiae factae essent. Atque ubi senex comperit se deceptum esse, vituperat eum magnopere et manus constringere vult. Qui postquam exiit ad lorarios vocandos, Chrysalus loquitur:

[a] Ut vérba mihi dat: út nescioquam rém gerat. Bacch. 795
[a] Servós arcessit íntus qui me vínciant.

Sed quo sono omnes hi versus, quos modo exscripsi, efferuntur? Utamur exemplo verbis Chrysali. Afficiturne dolore dicens illa verba? Immo vero futura non curat. Perfunditurne gaudio? Sane quidem, sed non quod vinciri iussus est. Quod ludificavit senem, id ei gaudio est. Per ludibrium igitur illa verba recitantur. Neque aliter res se habet in ceteris versibus, quos attuli. Sed afferamus similia. Phaedromo adulescenti, qui parasitum in Cariam miserat, ut a sodali argentum peteret, dicenti se nescire, quo se vortat, respondet Palinurus servus:

[a] Si deós salutas, déxtrovorsum cénseo. Curc. 70

Eandem irrisionem esse his in versibus puto, quos breviter exscribam:

[aa] Ego intus servem? an néquis aedes aúferat? Aul. 82
[a] Puméx non aequest árdus, atque hic ést senex. Aul. 297
[c] Quin dívom atque hominum clámat continuó fidem, Aul. 300
[aa] De suó tigillo fúmus siqua exít foras.
[a] Quin quom ít dormitum, fóllem obstringit ób gulam.
[a] Censén talentum mágnum exorarí potis Aul. 309 (de 314
[bb] Ab istóc sene, ut det quí fiamus líberi? p. 45)
[a] || Famem hércle utendam, sí roges, numquám dabit.
[a] Quin ípsi pridem tónsor unguis démpserat:
[aa] Collégit, omnia ábstulit praeségmina.
[a] || Edepól mortalem párce parcum praédicas.
[a] Ut mátronarum hic fácta pernovít probe. Aul. 503
[a] Scio quám rem agat. Aul. 574
[a] Ut mé deponat víno, eam adfectát viam:
[b] Post hóc quod habeo ut cómmutet colóniam.
[a] Nam | híc iam non audébit aurum abstrúdere: Aul. 663
[a] Credo écferet iam sécum et mutabít locum.
[a] Quem di díligunt, Bacch. 816
[c] Aduléscens moritur, dúm valet sentít sapit.
[b] Hunc si úllus deus amáret, plus annís decem,
[a] Plus iám viginti mórtuom esse opórtuit.
v. 820 corruptus est
[a] Nec séntit: tantist quántist fungus pútidus.

[a]Sunt híc, inter se quós nunc credo dicere: Cas. 67
[b]„Quaeso hércle, quid istuc ést? serviles núptiae?
[a]Servín uxorem dúcent aut poscént sibi?
[a]Novom áttulerunt, quód fit nusquam géntium.“
[a]Voltísne olivas, púlpamentum, cápparim? Curc. 90
[c] Quin tu aliquót dies Curc. 241
[a]Perdúra, dum intestína exputescúnt tibi:
[a]Nunc dúm saltura sát bonast. si id féceris,
[b]Veníre poteris íntestinis vílius.
[aa]Tute ípse siquid sómniasti ad mé refers. Curc. 254
[a]Nam quíd modi futúrumst illum quaérere? Men. 233 (de 235
[b]Hic ánnus sextust, póstquam ei rei operám damus. p. 46)
[a]Histrós, Hispanos, Mássilienses Hílurios,
[bb]Maré superum omne Graéciamque exóticam
[c]Orásque Italicas ómneis, qua adgreditúr mare,
[c]Sumus círcumvecti. sei | acum, credo, quaéreres,
[a]Acum ínvenisses, sei áppareret, iám diu.
[b]Hominem ínter vivos quaéritamus mórtuom:
[a]Nam invénissemus iám diu, sei víveret.
[a]In scírpo nodum quaéris. quin nos hínc domum Men. 247
[c]Redímus, nisi si históriam scripturí sumus?
[a] Nóvi cum Calchá simul: Men. 748
[a]Eodém die illum vídi quo te ante húnc diem.
[c] Ei hác mecum, ut videás semul Merc. 689
[aa]Tuam ’Alcumenam paélicem, Iunó mea.
[c] Quid ais tu? étiamne haec illí tibi Merc. 751
[a]Iussérunt ferri quós inter iudéx datus?

Porro cf. Aul. 316—319 (de 316—318 p. 45); Cist. 622 (p. 45); Epid. 491 (p. 45); Men. 251—252 (de 252 p. 46); Mil. gl. 9—71 (de 51 p. 33), 499 sq., 836 sq., 1112 sq.; Most. 493 sq., 671 sq., 770, 780 sq.; Pers. 686 sq., 747—749; Poen. 755 sq., 760, 802—804, 1080 sq., 1364 sq.; Pseud. 47 sq., 464 sq., 504—506, 531—534, 851 sq.; Rud. 122 sq., 140—146, 543 sq., 873, 887—889.

Hoc loco etiam hi versus tractandi sunt:

[a] Tuós pater bellíssumus Merc. 812
[a]Amícam adduxit íntro in aedis.
[aa]Eum ésse civem | ét fidelem | ét bonum. Pers. 67
[a]Condígne haruspex, nón homo trióboli, Poen. 463
[b]Omníbus in extis aíbat portendí mihi
[a]Malúm damnumque et deós esse iratós mihi.
[a]Quid eí divini aut húmani aequomst crédere?
[a]Miná mihi argenti dóno postillá datast.

Quae verba non vera dicunt, sed contraria eorum, quae intellegi velint. Cum ironia igitur pronuntiantur. Versus autem eadem dili-

gentia conformati sunt, qua qui ludibrium continent, quoniam etiam eis irrisio quaedam inest.

Sed redeamus ad rem atque inspiciamus versus, quibus non iam illuditur persona fabulae ipsius, sed homo non praesens vel ordo totus.

Poetae comici irridentur his locis:

[b]Atque hóc poetae fáciunt in comoédiis: Men. 7
[a]Omnís res gestas ésse Athenis aútumant,
[b]Quo | íllud vobis graécum videatúr magis.
[aa]Nugás theatri: vérba quae in comoédiis Pseud. 1081
[c]Solént lenoni díci, quae puerí sciunt:
[a]Malum ét scelestum et péiurum aibat ésse me.
[c]Spectávi ego pridem cómicos ad istúnc modum Rud. 1249
[b]Sapiénter dicta dícere atque is plaúdier,
[c]Quom illós sapientis móres monstrabánt poplo.
[a]Sed quom índe suam quisque íbant divorsí domum,
[bb]Nullús erat illo pácto ut illi iússerant.

Euripidem irrisu insectatur:

[aa]Non véntus fuit, verum ’Alcumena Eurípidi. Rud. 86

Fabula quaedam illius temporis ludificatur:

[aa]Quam audivit umquam Clínia ex Demétrio? Bacch. 912

Pellio, qui fuit actor comicus illius temporis:

[c]Etiam Épidicum, quam ego fábulam aeque Bacch. 214
ac me ípsum amo,
[b]Nullam aéque invitus spécto, si | agit Péllio.

Magistratus:

[a]Nempe óptumo me iúre in vinclis énicet Rud. 476
[bb]Magistrátus, siquis me hánc habere víderit.
[aa]Nam haec lítteratast: eápse cantat quóia sit.

Cives urbani:

[c]Nil ést profecto stúltius neque stólidius Trin. 199
[c]Neque méndaciloquiús neque argutúm magis
[c]Neque cónfidentilóquius neque peiúrius
[b]Quam urbáni adsidui cíves quos scurrás vocant.
[c]Atque égomet me adeo cum íllis una ibidém traho:
[a]Qui illórum verbis fálsis acceptór fui,
[c]Qui omnía se simulant scíre neque quicquám sciunt.
[c]Quod quisque in animo habét aut habiturúst sciunt:
v. 207 corruptus est
[a]Sciúnt quod Iuno fábulatast cúm Iove:
[c]Quae néque futura néque sunt, tamen illí sciunt.
[a]Falsón an vero laúdent, culpent quém velint,
[c]Non flócci faciunt, dum íllud quod lubeát sciant.
[a]Qmnís mortales húnc aiebant Cálliclem

[a]Indígnum civitáte ac sese vívere,
[b]Bonís qui hunc adulescéntem evortissét suis.
[c]Ego de eórum verbis fámigeratorum ínsciens
[b]Prosílui amicum cástigatum innóxium.
[a]Quod si éxquiratur úsque ab stirpe auctóritas,
[c]Unde quídquid auditum dícant: nisi id appáreat,
[b]Famígeratori rés sit cum damno ét malo:
[b]Hoc íta si fiat, público fiát bono.
[a]Paucí sint faxim quí sciant quod nésciunt,
[c]Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam.

Hos versus summo studio conformatos esse, si hac ratione metimur, nemo existimabit. Sed cogitandum est permulta nova verba Plautum adhibuisse, praecipue in primis versibus. Accedit, quod multis locis *neque* legitur, ubi posteriore aetate *nec* scribebatur. Et nescio equidem, utrum revera in enuntiando differentia fuerit inter duo vocabula *neque* et *nec* an fortasse in scriptura solum ea distincta sint. Neque vero hanc quaestionem hoc loco diiudicare possum neque scio, num diiudicari possit. Certe, si *neque* ut monosyllabum metimur, multi versus diligentiores fiunt. Sed pergamus.

Ludificantur argentarii:
[a]Habént hunc morem plérique argentárii, Curc. 377 (de 381
[c]Ut álius alium póscant, reddant némini, p. 44)
[a]Pugnís rem solvant, síquis poscat clárius.
[a]Qui homó mature quaésivit pecúniam,
[a]Nisi eám mature pársit, mature ésurit.

Praenestini:
[a] *A* fació lucri, Truc. 690
[a]Ut Praénestinis, *cónea* est cicónia.

Coqui:
[a] séd coquos, quasi ín mari Merc. 695
[a]Solét hortator rémiges hortárier,
[a]Ita hórtabatur.
[aa]Forúm coquinum quí vocant, stulté vocant: Pseud. 790
[a]Nam nón coquinumst, vérum furinúmst forum.
[c]Nam ego sí iuratus péiorem hominem quaérerem
[b]Coqúm, non potui quam húnc quem duco dúcere,
[b]Multíloquum, gloriósum, insulsum, inútilem.
[c]Quin ób eam rem Orcus récipere ad se hunc nóluit,
[aa]Ut ésset hic qui mórtuis cenám coquat:
[cc]Nam hic sólus illis cóquere quod placeát potest.

Divites:
[a]Iniúriam illic ínsignite póstulat: Poen. 809
[a]Nostró servire nós sibi censét cibo.

v. 811 corruptus est
[c]Siquíd bene facias, lévior plumast grátia:
[a]Siquíd peccatumst, plúmbeas irás gerunt.

Curiosi:
[a]Sed cúriosi súnt hic complurés mali, Stich. 198 (de 203 sq.
[c]Aliénas res qui cúrant studio máxumo, p. 46)
[b]Quibus ípsis nullast rés quam procurént sua.
[a]Ei quándo quem auctiónem facturúm sciunt,
[a]Adeúnt, perquirunt quíd siet causae ílico:
[b]Aliénum aes cogat án pararit praédium:
[a]Uxórin sit reddénda dos divórtio.

Mulieres:
[bb]Si proínde amentur, múlieres diu quám lavant, Truc. 324
[aa]Omnés amantes bálneatorés sient.

Meretrices:
[c]Minume hércle mirum: mórem hunc meretricés habent: Men. 338
[a]Ad pórtum mittunt sérvolos, ancíllulas:
[c]Siquaé peregrina návis in portum ádvenit,
[b]Rogitánt quoiatis sít, quid ei nomén siet:
[a]Postílla extemplo se ádplicant, adglútinant:
[a]Si péllexerunt, pérditum amittúnt domum.
[b]Nunc ín istoc portu stát navis praedatória,
[a]Aps quá cavendum nóbis sane cénseo.
[b]Nullúmne interea náctu's, qui possét tibi Capt. 154
[a]Remíssum quem dixti imperare exércitum?

Haec verba quamquam ad Ergasilum directa sunt, totum parasitorum ordinem illudunt. Neque aliter res se habet hoc loco:
[c]At illást pudica néque dum cubitat cúm viris. Curc. 57
[a]|| Credám, pudor si quoíquam lenoní siet.

Sufficiunt haec exempla. Neminem esse puto qui neget versus, quibus ludibrium atque irrisio inest, non parva elegantia conformatos esse e poeta. Qui eo magis animos commovent, quo diligentius verba electa sunt. Iocus amat concisum sermonem.

Saepe poeta aliquem ita dicentem facit, ut invitus illudat suum ipsius ordinem. Atque quoniam, ut dixi, ludificandi causa hoc fecit, non mirabimur, quod eiusmodi versus eadem diligentia exculti sunt. Exempla nonnulla afferam.

Avarus homo dicit:
[c]Nunc défaecato démum animo egrediór domo, Aul. 79
[a]Postquám perspexi sálva esse intus ómnia.
[b]Redi núnciam intro atque íntus serva.
[a]Aráneas mi ego íllas servarí volo. Aul. 87 (de 91 sq. p. 46)

[c] Paupér sum, fateor, pátior: quod di dánt fero.
[a] Abi íntro, occlude iánuam: iam ego híc ero.
[c] Cave quémquam alienum in aédis intromíseris.
[a] Quod quíspiam ignem quaérat, extinguí volo,
[a] Ne caúsae quid sit quód te quisquam quaéritet.
[a] Nam si ígnis vivet, tu éxtinguere extémpulo.
[a] Tum aquam aúfugisse dícito, siquís petet.
[a] Cultrúm, securim, pístillum, mortárium,
[a] Quae uténda vasa sémper viciní rogant,
[a] Furés venisse atque ábstulisse dícito.
[a] Profécto in aedis meás me absente néminem
[b] Volo íntromitti. atque étiam hoc praedicó tibi,
[c] Si Bóna Fortuna véniat, ne intromíseris.
[a] Nam nóster nostrae quist magister cúriae — Aul. 107 (de 107
[b] Divídere argenti díxit nummos ín viros: — p. 44 et 46,
[aa] Id sí relinquo ac nón peto, omnes ílico — de 112 p. 46)
[aa] Me súspicentur, crédo, habere aurúm domi.
[c] Nam nón est veri símile | hominem paúperem
[b] Pauxíllum parvi fácere quin nummúm petat.
[a] Nam núnc quom celo sédulo omnis, né sciant,
[a] Omnés videntur scíre et me benígnius
[aa] Omnés salutant quám salutabánt prius.
[a] Adeúnt, consistunt, cópulantur déxteras:
[c] Rogitánt me, ut valeam, quíd agam, quid rerúm geram.

Parasitus ordinem suum his locis perstringit:

[a] Pernám quidem — Pers. 105
[a] Ius ést adponi frígidam postrídie.
[a] Lubído extemplo coéperest convívium, — Pers. 121
[aa] Tubúrcinari dé suo, siquíd domist.
[c] Cynicum ésse egentem opórtet parasitúm probe:
[c] Ampúllam, strigilem, scáphium, soccos, pállium,
[cc] Marsúppium habeat: ínibi paullum praésidi,
[b] Qui fámiliarem suám vitam oblectét modo.
corruptus est — Pers. 353
[a] Quam ménsa inanis núnc si apponatúr mihi. — Pers. 354
[c] Quasi múres semper édimus alienúm cibum. — Capt. 77
[c] Ubi rés prolatae súnt, quom rus hominés eunt,
[a] Simúl prolatae rés sunt nostris déntibus.
[a] sed num quó foras — Capt. 172
[a] Vocátus es ad cénam? || Nusquam quód sciam.
[b] Sed quíd tu id quaeris? || Quía mist natalís dies:
[b] Proptérea a te vocári ad te ad cenám volo.
[c] Quem tu ádservare récte ne aufugiát voles, — Men. 87
[aa] Esca átque potióne vinciri decet:

[c] Apud ménsam plenam | hómini rostrum déliges.
[b] Dum tu ílli quod edit ét quod potet praébeas
[aa] Suo árbitratu | ád fatim cottídie,[1])
[c] Numquam hércle effugiet, tam étsi capital fécerit.
[bb] Famem égo fuisse súspicor matrém mihi: — Stich. 155
[a] Nam póstquam natus súm, satur numquám fui.

et qui sequuntur usque ad v. 234.

[aa] Iamne éxta cocta súnt? quot agnis fécerat? — Stich. 251
[b] Quaequidem dicát „dabo“: — Stich. 260
[a] Ventrí reliqui eccíllam quae dicát „cedo“.
[b] Hau póstulo equidem méd in lecto accúmbere: — Stich. 488
[a] Scis tú med esse | ími subsellí virum.

Ancilla loquitur:

[b] Nam quándo sterilis ést amator áb datis, — Truc. 241
[b] Si négat se habere quód det, soli crédimus,
[c] Nec sátis accipimus, sátis quom quod det nón habet.
[aa] Sempér datores nóvos oportet quaérere,
[a] Qui dé thensauris íntegris demús danunt.

Ex Pseud. vv. 810—834, ubi coquus ludificat ordinem suum, permulti dissolutiones praebent, sed ei maxime, qui continent nomina herbarum, ut eos excusare possimus.

Quid multa dicam de versibus, quos modo attuli? Res ipsa loquitur. Tamen hanc paragraphum relinquere non possum. Tractavi usque adhuc irrisiones fabulae ipsius personarum, tum eorum hominum, qui absunt. Denique persona suum ipsius ordinem ludificavit. Desunt autem versus, quibus mores illius temporis in existimantium arbitrium veniunt. Quos nunc in comparationem vocemus. Condiciones viri et mulieris comparantur hoc loco:

[b] Ecástor lege dúra vivont múlieres — Merc. 817
[bb] Multóque iniquióre miserae quám viri.
[a] Nam sí vir scortum dúxit clam uxorém suam,
[a] Id sí rescivit úxor, inpunést viro:
[aa] Uxór virum si clám domo egressást foras,
[b] Viró fit causa, exígitur matrumónio.
[c] Utinám lex esset éadem quae uxoríst viro.
[a] Nam uxór contentast quaé bonast unó viro:
[bb] Qui mínus vir una uxóre contentús siet?
[b] Ecástor faxim, si ítidem plectantúr viri,
[a] Siquís clam uxorem dúxerit scortúm suam,

---

1) cf. Birt: „Der Hiat bei Plautus“ p. 344.

[b]Ut illae éxiguntur quae ín se culpam cómmerent,
[c]Plurés viri sint vídui quam nunc múlieres.

Aul. vv. 475—536 (de 496 p. 30; 501 p. 46; 503 p. 49; 514—516 p. 44) vituperantur pares nuptiae, i. e. quod divites viri in matrimonium ducunt nullam aliam nisi dotatam uxorem. Agunt de servis:

[a]Illúc est quod nos néquam servis útimur. Rud. 1258 (de v. 1259 corruptus est 1262 p. 47)
[a]Et ípsum sese et íllum furti adstríngeret.
[a]Dum praédam habere sé censeret, ínterim
[aa]Praeda ípsus esset: praéda praedam dúceret.

de Epidamno:

[c]Nam itást haec hominum nátio: in Epidámnieis Men. 258
[b]Voluptárii atque pótatores máxumei:
[a]Tum sýcophantae et pálpatores plúrumei
[c]In úrbe hac habitant: túm meretrices múlieres
[c]Nusquám perhibentur blándiores géntium.

de Athenis:

[b]Atque íd ne vos mirémini, hominis sérvolos Stich. 446
[a]Potáre, amare atque ád cenam condícere:
[b]Licet haéc Athenis nóbis.

de Persis:

[b]Ita súnt Persarum móres: longa nómina Pers. 707
[c]Contórtiplicata habémus.

Truc. vv. 23—76 meretricum condiciones et mores perstringuntur, qui longe plurimi summa arte exculti sunt.

Ad finem perduxi quaestiunculam de structura versuum, qui irrisiones continent. Neque iam verbis opus est. Ex exemplis, quae attuli, satis superque apparet ludibrium elegantibus senariis Plautum complexum esse, qua de causa statim ad alia pergere possumus.

2. De obiurgatione.

Quoniam omni irrisione exprimitur vituperatio quaedam, nunc consideremus versus, quibus quis reprehenditur. Pistoclerus hos deos nominat:

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium, Bacch. 115
Iocus, Ludus, Sermo, Suavisaviatio,

quos coniunctos admiratur Lydus atque vituperans dicit:

[b]Quid tíbi commercist cúm dis damnosíssumis? Bacch. 117

Tum Pistoclerus:

[b]Malí sunt homines quí bonis dicúnt male. Bacch. 118 (de
[a]Tu dís nec recte dícis: non aequóm facis. 121 p. 43)

[b]|| An déus est ullus Suávisaviátio?
[a]|| An nón putasti esse úmquam? o Lyde, es bárbarus:
[cc]Quem ego sápere nimio cénsui plus quám Thalem,
[aa]Is stúltior es bárbaro potício,
[a]Qui tántus natu deórum nescis nómina.

atque postea:

[aa]Non ómnis aetas, Lýde, ludo cónvenit. Bacch. 129
[c]Magis únum in mentemst míhi nunc, satis ut cómmode
[a]Pro dígnitate opsóni haec concurét cocus.

Parasitus increpitat puerum, quem aedes pultare iusserat:

[b]Recéde hinc dierécte. ut pulsat própudium. Bacch. 579
[aa]Comésse panem tris pedes latúm potes,
[a]Forés pultare néscis,

et ipse clamare incipit. Itaque Pistoclerus postquam domo egressus est, haec dicit:

[b] Quid istuc? quae ístaec est pulsátio? Bacch. 583
[c]Quid est? quaé te mala crux ágitat, qui | ad istúnc modum
[b]Aliéno viris tuás extentes óstio?
[a]Forés paene exfregísti. quid nunc vís tibi?

Quorum primi versus plerumque dissoluti sunt, sed ultimus, qui continet fortissimum opprobrium, summa diligentia compositus est. Bacch. v. 799 Nicobulus poenam dicit Chalino, quod ab eo deceptus sit, tum autem ei crimini dat:

[c]Eho tú, ◡ — loquitátusne's gnató meo Bacch. 803
[c]Male pér sermonem, quía mihi id aurum réddidit,
[a]Et té dixisti id aúrum ablaturúm tamen
[a]Per sýcophantiam?
[b]Nullús homo dicit: haé tabellae te árguont, Bacch. 808
[a]Quas tu áttulisti: em | haé te vincirí iubent.
[c]Proptérea hoc facio, ut suádeas gnató meo Bacch. 812
[a]Ut pérgraecetur técum, tervenéfice.

Postquam Cas. v. 89 Olympio et Chalinus servi inter se contenderunt, hic subito vituperat:

[a] Quin ruri's ín praefecturá tua? Cas. 99
[c]Quin pótius quod legátumst tibi negótium
[a]Id cúras atque urbánis rebus te ápstines?

Lysidamus Alcesimo crimini dat, quod fidem non persolverit:

[b]Ut béne vocivas aédis fecistí mihi. Cas. 596
[a]Ut tráduxisti huc ád nos uxorém tuam.
[b]Satín propter te péreo ego atque occásio?

Alcesimus autem refellit reprehensionem his verbis:

[c]Quin tú suspendis té? nempe tute díxeras Cas. 599
[a]Tuam arcéssituram esse úxorem uxorém meam.

Matrona in Men. fabula Menaechmo II occurrens putat hunc maritum suum esse atque eum vituperat:

[a]Non té pudet prodíre in conspectúm meum, Men. 708
[c]Flagítium | hominis, cum ístoc ornatú?

Cui stupefacto, quid sit, respondet illa:

[b] Etiamne, ínpudens, Men. 710
[a]Muttíre verbum unum aúdes aut mecúm loqui?

Grumio servus obiurgans domo evadit haec verba dicens:

[aa]Exi é culina sís foras, mastígia, Most. 1
[b]Qui mihi ínter patinas éxhibes argútias.
[c]Egrédere, erilis pérmities, ex aédibus.
[b]Ego pól te ruri, sí vivam, ulciscár probe.

Simo Pseudolum increpitat, quod se celaverit filium fidicinam aliquam amare atque liberare velle:

[a] Quor haec tu ubí rescivisti ílico Pseud. 490
[a]Celáta me sunt? cúr non rescivi?

Nonne loci, quos modo attuli, magna diligentia a poeta expoliti sunt? Sed quae subest causa? Si quis alterum reprehendit, quacumque re commotus est, neminem esse puto qui dubitet, quin ille verbis suis animum eius, quem vituperat, intendere velit. Atque iam in initio huius partis dixi, quo diligentius versus conformati sint, eo vehementius permoveri animos. Qua de causa perspicuum est opprobrium senariis elegantioribus comprehensum esse a poeta.

Cf. porro: Amph. 904—907 et 918—921 et 925—927; Aul. 40—64, 359—361, 551—559 (de 556 et 559 p. 46); Bacch. 3 sq. (fr. I); 26—28 (fr. XVI), 245; Cist. 374—376, 598; Men. 250; Merc. 316; Mil. gl. 825; Most. 62,[1] 589—609, 771, 1010—1033[2]; Pers. 406—416; Poen. 1309—1314; Pseud. 118—120, 438—442, 466 sq., 1002 sq., 1044—1049; Rud. 112—117, 501—504 et 507, 538 ad 539[3] et 543—548 (de 543 sq. p. 50); Trin. 70—76, 459—462; Truc. 326, 355 sq.; Vid. 51 sq.

3. De furore et poena.

De irrisione et opprobrio satis actum. Multo gravior autem illis poena ipsa est. Itaque versus consideremus, qui cui minitantur poenam. Cleomachus miles postquam comperit Mnesilochum, Nicobuli

1) cf. Birt l. l. p. 350.
2) de 1012 cf. Birt l. l. p. 332 et 363.
3) de 538 cf. Birt l. l. p. 311.

filium, per vim retinere mulierem suam, poenam nuntiat:

[bb]Non me árbitratur mílitem, sed múlierem, Bacch. 845
[aa]Qui mé meosque nón queam deféndere.
[c]Nam néque Bellona mi úmquam neque Mars créduat,
[c]Ni illum éxanimalem fáxo, si convénero,
[a]Nive éxheredem fécero vitaé suae.

vv. 845—846 furore incensus recitat miles. Tum poenam dicit, quam petit ab illo; primum minore diligentia versus incedunt, sed v. 849 elegantissimus est. Adcrescit furor. Qui sequuntur versus, iam indissoluti sunt:

[a]Tum illám quae corpus públicat volgó suom Bacch. 863
[a]Faxó se haud dicat náctam quem derídeat.

Atque postquam lenitus est a Nicobulo promittente ducentos nummos aureos, subito Chrysalus Cleomachum increpitat, quod illum morte territaverit atque poenam ei minitatus sit:

[b]Si tíbist machaera, at nóbis vervinást domi: Bacch. 887
[c]Quaquidém te faciam, sí tu me inritáveris,
[aa]Confóssiorem sóricina nénia.

Hegio de Tyndaro hoc supplicium sumit, quod deceptus est:

[c]Inde íbis porro in látomias lapidárias. Capt. 723
[c]Ibi quom álii octonos lápides effodiúnt, nisí
[aa]Cottídiano sésqueopus conféceris,
[aa]Sescéntoplago nómen indetúr tibi.
[a]Nam nóctu nervo vínctus custodíbitur, Capt. 729 (de 729
[b]Intérdius sub térra lapides éximet. p. 46)

In Cas. fabulae initio Olympio et Chalinus servi inter se contendunt, uter in matrimonium ducturus sit Casinam. Neque vero ille dubitat, quin Lysidamus senex ei comparet virginem, qua de causa dicit, „quot modis habeat Chalinum in nuptiis suis miserum“ (vv. 118 ad 140,[1]) qui constant ex 7 versibus indd., ex 8 ll., ex 8 diss). Olympio minitatur postea:

[c]Sine módo rus veniat: égo remittam ad té virum Cas. 437
[a]Cum fúrca in urbem támquam carbonárium.

Sed ne longus sim, locos, qui afferendi sunt, exscribam nullis explicationibus adiectis.

[b]Ludós ego hodie vívo praesenti híc seni Most. 427
[b]Faciám: quod credo mórtuo numquám fore.
[a] Em eundem mé dato: Poen. 161
[aa]Utrúmque faxo habébit: et nequam ét malum.

1) de 126 cf. Birt l. l. p. 323.

[a] Scin quám cinaedus sum? íte istinc, serví, foras, Poen. 1319
[a] Ecférte fustis.
[aa] Leno, árrabonem hoc pró mina mecúm fero. Poen. 1359
[b] Hominés qui gestant quíque auscultant crímina, Pseud. 427
[b] Si meo árbitratu líceat, omnes péndeant, (de 429 p. 45)
[a] Gestóres linguis, aúditores aúribus.
[b] Nam istaéc quae tibi renúntiantur, fílium
[a] Te vélle amantem argénto circumdúcere,
[aa] Fors fuát an istaec dícta sint mendácia.
[a] Stilis me totum usque úlmeis conscríbito. Pseud. 545

Satis dilucide elucet etiam versus, qui poenam continent, quo gravior haec est vel quo maiore furore, qui loquitur, inflammatus est, eo diligentius conformatos esse. Id quod optime intellegimus inspectis Bacch. vv. 845 et 865. Quorum primi non eadem cura elaborati sunt qua ultimi. Furore aucto et minae vehementiores et structura gravior fit.

4. De versibus, quibus inest „in malam crucem“.

Ricardus Klotz: „Grundzüge altrömischer Metrik“ p. 236 eodem loco, quo agit de Bacch. v. 51, quem supra commemoravi (p. 33), dicit haec verba:

> „Dagegen sollte die mala crux in den so häufigen Versschlüssen malám crucem sicher nicht als etwas Leichtes erscheinen“.

Id videmus etiam ex structura versuum diligentissima. Neque mirari possumus, si cogitamus hos versus continere vituperationem, quin etiam poenam. Sed exempla colligamus.

[aa] Ducás easque in máxumam málam crucem Cas. 611
[cc] Cum | hác, cum | istac cúmque amica etiám tua.
[c] Rapidús raptori púeri subduxít pedes, Men. 65
[b] Apstráxitque hominem in máxumam malám crucem:
[b] Illí divitiae | évenerunt máxumae.
[aa] Feránt eantque máxumam malám crucem. Pers. 352
[a] Colaphís quidem hercle tuóm iam dilidám caput, Poen. 494
[a] Nisi aút auscultas aút is in malám crucem.
[b] || Malám crucem ibo pótius.
[a] Lígula, in malám crucem. Poen. 1309 (p. 58)
[a] I in malám crucem. Pseud. 846
[a] Quin tu hínc eis a me in máxumam malám crucem? Rud. 518
[aa] || Eás: easque rés agebam cómmodum.

Trin. v. 598 corruptus, sed qui sequitur, levis est:

[bb] Latrócinatum, aut ín Asiam aut in Cíliciam. Trin. 599

Etiam Bacch. v. 902 corruptelam habet, ut eum omnino neglegere possimus. Ceteri omnes versus summa diligentia sunt. Etsi Cas. v. 612 dissolutus est, tamen qui praecedit et cui verba illa insunt, indissolutus est atque ipse imitatur Graecorum trimetrum, quoniam in pedibus secundo et quarto breves syllabas praebet.

Minore diligentia conformati sunt:

[c] Sed quíd ego dubito fúgere hinc in malám crucem Poen. 789
[b] Priusquam hínc optorto cóllo ad praetorém trahor?
[c] Utinam hinc ábierit malám crucem. Poen. 799

Sed his duobus locis non eadem gravitas inest quae ceteris. Poen. vv. 789 sq. Lycus leno dubitat fugere in malam crucem. Quibus verbis exprimitur festinatio permagna. Praeterea non alterum in malam crucem ire iubet, ipse fugere vult. In Poen. v. 799, in quo traditum est *aberit*, optime *abierit* correctum est. Sed gravitas deest. Nam legitur *utinam*. Licet autem hic solus locus minimo studio panctus sit, nihil demonstrat pro ceteris omnibus. Restat:

[b] Lóquere atque i in malám crucem. Pseud. 839

Quo loco *i* omiserunt codices A excepto. Sed sive adiungimus illud *i* sive neglegimus secuti codices reliquos, versus certe levis est, quoniam *i* etiam in Merc. v. 689 et Truc. v. 696 eliditur, porro in Poen. v. 1116, ubi codices legunt:

Sed i atque évoca . . .

Unde facile intellegere possumus *i* Pseud. v. 839 neglectum esse a librariis. Itaque nemo erit qui dubitet, quin versus, quorum finis est *in malam crucem*, Plautus summa arte excoluerit, praesertim si consideramus Men. v. 66, ubi ei, qui praecedunt, dissoluti sunt, sed quí sequitur, diligentem structuram praebet.

Caput II.

De versibus, qui continent vocem affirmativam.

Permultis versibus Plautus voces affirmativas addidit, *mecastor, hercle, edepol* etc. Sed non omnes eadem vi praediti sunt. Qua voce populus saepissime utitur, eius gravitas deminuitur. Vehementissimae autem voces quam rarissime adhibentur, ut, si quando eveniunt, vim maximam exprimant. Quod verum esse etiam ex fabulis Plautinis cognoscere possumus, quippe quae sermonem populi imitentur.

1. mecastor.

De voce affirmativa *mecastor* dicit Gellius XI 6, 1:

„In veteribus scriptis neque mulieres Romanae per Herculem deiurant neque viri per Castorem".

et XI 6, 3:

„Nusquam igitur scriptum invenire est apud idoneos quidem scriptores aut *mehercle* feminam dicere aut *mecastor* virum".

Utrum re vera non nisi mulieres voce affirmativa *mecastor* utantur, hoc loco non quaero. Tantum dico omnes versus, quos inveni, a mulieribus pronuntiari.

[b] Noenúm mecastor, quíd ego ero dicám meo — Aul. 67
[a] Malaé rei evenísse quamve insániam . . .
[a] Audívi ecastor cúm malo magnó tuo. — Cas. 576
[a] Te ecástor praestolábar. — Cas. 578
[a] Ne istúc mecastor, iám patrem accersám meum . . . — Men. 734
[a] Credó mecastor. — Merc. 689
[a] Ecástor vero istúc eo quantúm potest. — Merc. 691
[a] „Ergó mecastor púlcer est" inquít mihi . . . — Mil. gl. 63
[b] Credíbile ecastor dícit: credo huic, mí pater. — Poen. 1329
[a] Ecástor auctiónem | haud magní preti. — Stich. 235
[a] Certó mecastor íd fuit nomén tibi. — Stich. 240

Stich. v. 243 corruptus est

[a] Idem és mecastor quí soles. sed díc mihi . . . — Truc. 368
[a] Ecástor munus té curaturúm scio . . . — Truc. 430
[b] Lepidé mecastor núntias: sed díc mihi . . . — Truc. 679

Porro cf. hos, quos iam supra attuli vv.: Merc. 716 sq. (p. 46), 817 sqq. (p. 55), 826 sqq. (p. 55 sq.).

Hi sunt versus senarii iambici, quibus inest *mecastor* vel *ecastor*, atque videmus omnes, qui continent vocem ipsam, summa diligentia conformatos esse. Quin etiam plerumque vis pertinet ad versus sequentes.

2. edepol.

Maxime respiciendi sunt versus, quibus inest *edepol*. Quam vocem metitur Plautus semper ut tribrachum.[1]) Nam etiam ubi in elevatione eius ultima syllaba est — perpauci sunt loci —, semper verbum, quod sequitur, a consonante incipit, ut syllaba positione longa fiat. Atque etiamsi concederemus hanc syllabam olim natura longam fuisse, tamen semper anapaestica vox esset. Omnibus igitur in versibus, qui habent *edepol*, una solutio inest. Itaque suadet vox ipsa, ut eam hac in

[1]) cf. etiam W. Ahlberg: „De procceleusmaticis . . ." p. 39 sq.

re, quam tractamus, neglegamus. Versus igitur, qui nullam alteram solutionem praebent, in numero indissolutorum ducimus.

Sed consideremus, quo modo versus, qui continent *edepol*, hac condicione conformati sint. Sunt vero permulta eius generis exempla, ut numeros solum versuum exscribere possim. Itaque sic rem instituam, ut primum versus summa diligentia elaboratos conferam atque paullatim ad eos veniam, qui minore cura facti sunt. Primum exscribam locos, quibus vis vocis semper unum minimum versum, saepius complures regit. Qui omnes summo studio expoliti sunt, etiamsi non ubique versus ipse, qui vocem continet, indissolutus est: Amph. 913—915; Aul. 314 (p. 45 et 49), 580 sq.; Bacch. 159 sq., 166 sq., 218 sq., 254—256, 515 sq., 922, 1047 sq.; Cas. 93—96, 128 sq. (p. 59), 326; Curc. 409 sq.; Epid. 406 sq.; Merc. 721; Mil. gl. 25 sq. (p. 50), 586 sq., 848 sq.; Most. 438 sq., 609, 766 sq., 1026 a; Pers. 451 sq.; Poen. 716, 977, 978, 986, 1039—1041; Pseud. 476 sq., 507—509, 519, 555 sq., 1050; Rud. 489 sq., 527—530, 557 sq., 804/5, 806; Stich. 272 sq., 662 sq.; Trin. 138, 172, 433 sq., 574 sq., 1004 sq. (de v. 1004 p. 46); Truc. 377, 656 sq.; Vid. 32, 44.

Deinde locos magna diligentia factos afferam, qui partem solum versus complectuntur: Bacch. 293, 321 sq.; Cas. 456, 848; Epid. 409; Mil. gl. 19 (p. 50), 49 (p. 50); Most. 1006, 1008; Pseud. 873/4; Stich. 476; Trin. 49, 90, 438, 522; Truc. 361, 695.

Sequuntur loci, ubi, quamquam versus, cui *edepol* inest, indissolutus vel levis est, tamen hic vel ille eorum, qui sequuntur et ad quos vis vocis pertinet, dissolutionibus abundet: Bacch. 1055—1057; Cas. 327—330; Curc. 386—388; Epid. 461 sq.; Pers. 102 sq.; Poen. 695—698; Pseud. 1017 sq., 1101 sq.; Rud. 1237—1241 (p. 38); Trin. 128 sq., 591—594.

Maiore cura elaborata etiam haec exempla dicere possumus, quibus versus, qui continet *edepol*, dissolutus est, sed is, qui sequitur, indissolutus vel levis: Mil. gl. 538 sq.; Most. 442 sq.; Truc. 347 sq.

Minima cura conformati sunt hi loci, ubi interdum versus indissolutus vel levis invenitur: Amph. 887—890; Cas. 309—311; Pseud. 784—787; Vid. 69 ad 71

et hi, ubi omnes versus dissoluti sunt: Cist. 753; Mil. gl. 847; Pers. 128, 673 sq., 697 sq.; Poen. 1331; Pseud. 1024; Rud. 511; Truc. 365.

Etiamsi vv. Amph. 887 sqq.; Cas. 309 sqq.; Pseud. 784 sqq.; Vid. 69 sqq. ducimus in numero eorum, qui nulla vel parva diligentia expoliti sunt, tamen longe plurimi elegantissime compositi sunt. Ex 94 numero locis 81 magna cura elaborati sunt, 13 nullo studio.

3. pol.

Praeter hanc gravissimam vocem affirmativam *edepol* in fabulis Plautinis invenimus alteram *pol*, quae ex eodem Pollucis nomine ducta est. Sed non eadem vi est. Vocabulum enim unius syllabae numquam eadem gravitate esse potest, qua plurimarum syllabarum eiusdem stirpis. At tamen consideremus versus, quibus inest *pol*. Primum colligam eos, qui summa diligentia conformati sunt, sive versus indissoluti, sive leves sunt: Aul. 101 sq., 543 sq.; Bacch. 1010 sq.; Capt. 158; Merc. 577, 711, 815; Most. 4 (p. 58); Pers. 390—395; Poen. 1135; Pseud. 1084 ad 1086; Rud. 505 sq.; Trin. 422, 474—477, 801 (p. 39 et 46); Truc. 379—381, 672.

Partem solum versus comprehendit vis vocis his locis: Asin. 823; Aul. 560; Poen. 1107, 1172; Pseud. 879.

Magna diligentia etiam hi exculti sunt, quamquam versus, cui inest vox aff., dissolutus est. Sed, qui sequitur, aut ind. est, ut: Bacch. 156 sq.; Capt. 695 sq.; Cas. 469 sq., 759—762 (de 760 sq. p. 45, 762 p. 44); Merc. 784—786; Pers. 736 sq.; Rud. 844 sq.; aut levis, ut: Asin. 35 sq.; Cist. 379 sq.; Epid. 453 sq.; Merc. 6 sq.; Mil. gl. 28 ad 30; Pers. 743 sq.; Poen. 787 sq.

Ad extremum afferam versus, qui legem frangunt: Aul. 71—73, 364, 550; Cas. 143, 589; Epid. 310 sq.; Pers. 89; Rud. 536; Stich. 441—444; Truc. 378.

Seponimus igitur omnino 10 numero locos, 36 in numero versuum diligentiorum ducimus. At tamen ne hi quidem eadem cura expoliti sunt, qua quibus inest *edepol*; sunt enim plurimi leves. Sed etsi res ita se habet, elegantiam negare non possumus.

4. hercle.

Longe creberrima vox affirmativa in fabulis Plautinis est *hercle*. Quae quibus inest senariis iambicis, 220 numero collegi, quos non omnes exscribere possum. Numeros solum versuum conferam. Nullus versus dissolutus est, quousque vis vocis pertinet, his locis: Asin. 37 sq.; Aul. 40 sq. (p. 58), 308, 311—313 (p. 49), 330 sq., 392, 572; Bacch. 281 (p. 46), 310 sq., 323, 361 sq. (p. 35), 503—505 (p. 35), 999; Capt. 680, 750; Cas. 38, 340, 465 sq., 471, 489, 609 (p. 29); Cist. 304, 624 sq. (p. 29); Curc. 20—22, 83 sq., 375 sq, 452; Epid. 510 sq.; Men. 471 sq., 727 sq., 731, 751; Merc. 266, 269, 294 ad 296, 584 sq., 705, 709 sq. (de 710 p. 29), 722; Mil. gl. 19 sq. (p. 50), 486 sq., 491, 852; Most. 557—559, 618 sq., 622 sq., 632; Pers. 342, 440; Poen. 44 sq., 172, 410—412, 436—438, 443 sq, 480, 494 sq. (p. 60), 643, 1032—1034, 1104 sq., 1114; Pseud. 29, 79, 87, 116, 508 sq. (p. 63), 523, 1056—1059; Rud. 108 sq., 139, 153/4, 479 sq., 789—791, 835; Stich. 164 (p. 55), 184—187 (p. 55), 189 (p. 55), 205 sq. (p. 55), 250, 480 sq., 495, 497, 643, 646 sq.; Trin. 52, 53, 56 sq., 58, 62, 411, 419, 464 sq., 483, 747; Truc. 7 sq., 327, 329.

Non totum versum haec exempla maiore studio confecta complectuntur: Aul. 570; Bacch. 211, 254, 303, 1027; Capt. 11;[1]) Cas. 593, 594; Cist. 296; Curc. 50; Epid. 409 (p. 63); Men. 307, 346, 533; Merc. 298, 738, 757, 759, 762; Mil. gl. 871; Most. 506, 512 sq., 549 a, 577, 646, 651, 993; Pers. 134, 154, 448; Poen. 151, 173, 430, 493, 797, 1028, 1091, 1360; Pseud. 129/30, 1070, 1099; Rud. 785, 787, 797, 834; Stich. 474; Trin. 433, 463, 555, 559, 783; Truc. 369, 422.

Etsi hic vel ille versus solutionibus abundat, tamen is, cui *hercle* inest, indissolutus vel levis est, ut eos in numero diligentiorum ducere possimus: Aul. 56—59 (p. 58); Bacch. 595 sq., 890 sq.; Cas. 84—86, 111 sq.; Merc. 245—247, 558 sq.; Mil. gl. 31 sq. (p. 50), 571—573, 581—583, 1308 sq.; Pers. 162 sq.; Poen. 488 sq., 1030 sq., 1107—1109 (de 1107 p. 64); Pseud. 473—475, 534—537, 885—887; Rud. 821—823; Trin. 731—733.

His locis versus, qui *hercle* continet, dissolutus est, sed qui sequitur, aut indissolutus est, ut: Aul. 106—110 (de 107 p. 44 et 46 et de 107—110 p. 54); Bacch. 511—514;[2]) Cist. 582—584;[2]) Curc. 665 sq.;[2]) Men. 338—343 (p. 53); Pers. 140—143; Poen. 1169—1171; Rud. 474 sq.; Stich. 437—439; Trin. 560 sq.; aut levis, ut: Capt. 75 sq.; Cas. 568 sq.; Mil. gl. 838 sq.; Rud. 824 sq.; Trin. 409 sq., 752 sq.

Hi versus sunt omnes dissoluti: Asin. 59, 817—819; Aul. 48 sq. (p. 58), 404; Bacch. 297, 363 (p. 35); Cas. 795; Men. 301; Merc. 566 sq., 755; Mil. gl. 37 (p. 50), 830, 857, 861, 1307; Most. 674, 678; Pers. 706; Poen. 706, 785 sq.; Pseud. 779 sq., 1032; Rud. 131—133, 466, 470, 471; Stich. 191; Trin. 457; Truc. 357, 426.

Hi versus corrupti sunt, ut neglegi possint: Aul. 283; Bacch. 902 (p. 61); Cas. 455; Men. 316, 872.

Ex 215 numero locis — nam 5 corruptos omnino neglegamus — nemo erit qui neget 169 summa diligentia compositos esse, quoniam hic versus, qui vocem ipsam continet, indissolutus vel levis est. Praeterea etiam illa 16 exempla, quibus versus, cui *hercle* inest, dissolutus, sed qui sequitur, indissolutus vel levis est, quadam diligentia sunt praedita, ut in numero versuum artificiosius compositorum ducere possimus. Restant igitur 30 numero loci nulla diligentia conformati, i. e. 1 : 6, 17 fere.

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 318.

[2]) vv. Bacch. 511, Cist. 582, Curc. 665 corrupti sunt, qua de causa hoc loco eos affero.

5. pro di immortales. di, vostram fidem. pro Juppiter.

Pervenimus nunc ad vocem affirmativam, quam hoc loco tractandam esse fieri potest, ut negetur, dico *pro di immortales*. Deos invocari dicis, qua de causa illam in numero eorum versuum ducendam esse, qui altiore sono recitentur. Quod non rectum esse mihi videtur. Neque enim maximi momenti et ponderis est deos invocari. Illa voce addita sermo maxime turbatur. Profecto etiam Brix-Niemeyer in editione Trinummi ad v. 591 dicunt:

> „*di, vostram fidem* (sc. *imploro*) ist selten ein bittender Anruf der Götter wie Poen. 953, sondern meistens ebenso wie *pro di immortales* '*admirantis adverbium cum exclamatione*' (Donat zu Ter. Andr. IV 3, 1), '*weiß Gott, ma foi*'."

Atque si consideramus versus, quibus inest illa vox affirmativa, non genus tragicum dicendi, sed gravitatem augeri nobis concedendum est, qua de causa versus eiusmodi coloris in hac parte quaestionis meae pertractandi sunt.

Sed inspiciamus exempla ipsa. Summa diligentia haec expolita sunt: Bacch. 181, 244; Most. 530 sq.; Poen. 967 sq.; Rud. 83 sq., 148 sq., 458 sq., 1191 sq.; Trin. 160 sq.

Non eadem elegantia haec conformata sunt, sed respici quidem possunt: Men. 474—477 (de 476 p. 46); Most. 77—80; Poen. 988 sq.; Stich. 657—659.

Neglegenda sunt haec: Capt. 697—699; Curc. 274 sq.; Mil. gl. 529 sq.; Trin. 501; Truc. 434—438.

Summa elegantia etiam hi versus expoliti sunt:

[a] di, vostrám fidem, Trin. 591 (p. 63)
[a] Edepól re gesta péssume gestám probe,
[b] Si quídem ager nobis sálvos est: etsi ádmodum
[c] In ámbiguost etiám nunc quid ea ré fuat,

quibus Brix-Niemeyer illud addiderunt, quod supra apposui. Quos hoc loco commemorandos esse puto, quamquam alia eis inest vox affirmativa *di, vostram fidem*. Nullum aliud eiusmodi exemplum inveni, sed significatus fere idem est.

Praeterea adiungam huic paragrapho tres locos, qui continent vocem *pro Iuppiter*, quae idem fere valet:

[a] Pro Iúppiter, Curc. 655
[c] Hic ést quem ego tibi mísi natalí die:
[b] Tam fácile novi quám me.
[a] pro Iúppiter, Mil. gl. 1133
[c] Satine út Commoditas úsquequaque me ádiuvat?

Poen. 1122—1124 (p. 42).

At tamen vis huius vocis non ita magna fuit, quoniam, ut exempla allata demonstrant, omnes tres loci minima cura expoliti sunt.

6. obsecro.

Idem, quod de versibus exposui, qui continent *pro di immortales*, etiam de eis dicendum est, quibus inest *obsecro*. Nam in eis minime interest quemquam iusiurandum dare. Sed tamen verba, quibus *obsecro* adiunctum est, gravi sono enuntianda sunt. Neque aliter res se habet, ubi plenius legimus *obsecro per deos* vel *obsecro per genua tua* etc. Iam vero hic quoque numeros solum versuum, quibus vox aff. addita est, exscribam. Summam artem praebent hi versus: Amph. 923 sq.; Asin. 29, 37 sq. (p. 64); Aul. 683—685; Bacch. 143 (p. 41), 905 sq.; Capt. 680 (p. 64); Cas. 620; Merc. 682, 789—791; Mil. gl. 862; Most. 530 sq. (p. 66), 549c—549e, 557—559 (p. 64), 618 sq. (p. 64), 622 sq. (p. 64); Poen. 967 sq. (p. 66), 1322 sq., 1362 sq.; Pseud. 29 (p. 64), 116 (p. 64); Truc. 329 (p. 65), 722.

Partem solum versus hi loci comprehendunt: Bacch. 203, 254 (p. 65), 840, 852 (p. 42), 870 sq.; Cas. 852 sq.; Cist. 295, 594 sq., 608 sq.; Most. 460 sq., 506 (p. 65), 512 sq. (p. 65); Poen. 1342 sq.; Pseud. 35, 129/30 (p. 65); Rud. 867 sq., 875, 882; Truc. 692.

Etsi non eadem diligentia, qua quos modo exscripsi, conformati sunt, tamen curam cognoscimus his in exemplis: Aul. 691 sq.; Bacch. 866 sq., 909 sq.; Cist. 764 sq.; Mil. gl. 540—545; Poen. 417—422, 1387—1390.[1])

Maxime respiciendi sunt:

[c] Nunc te óbsecro, ut me béne iuves operámque des. Most. 1036
[a] || Quid vís? || I mecum, | óbsecro, | uná simul.

Primum Simo Theopropidis verba non intellexerat, qua de causa interrogat: „Quid vis?" Itaque repetit Theopropides verba illa in v. 1037 diligentissime conformato.

Pertinent huc etiam:

[b] Intro te ut eas óbsecrat: Mil. gl. 1385 (de 1386 p. 44)
[a] Te vólt, te quaerit téque exspectans éxpetit.

Dissoluti sunt hi versus: Most. 610; Poen. 475, 672; Rud. 156; Most. 469 corruptus est.

Plura dicenda esse mihi non puto, quoniam exempla ipsa loquuntur. Nam fere omnes versus, quibus illud *obsecro* inest, summa cura exculti sunt.

7. quaeso.

Ubi egi de invocatione deorum, nonnullos versus attuli, quibus quis a deis „quaerebat", ut hoc vel illud darent. His locis deorum ipsorum nomen dicebatur. Sed ut *pro di immortales* et *obsecro* si pronuntiabatur, non semper cogitabatur de deis ipsis, ut iam supra satis exposui, ita etiam *quaeso* saepissime non est nisi vox affirmativa,

[1]) cf. de 1387 Birt l. l. p. 349.

quae si adhibebatur, de precibus non cogitabatur ad deos faciendis. Qua de causa hanc vocem in hac parte tracto, quoniam ea genus tragicum dicendi non augetur. Animus solum eius, ad quem verba directa sunt, commovetur.

Primum ea exempla exscribamus, quae minime dubia sunt: Bacch. 201 sq.; Cas. 850 sq.; Cist. 291—294; Mil. gl. 1306; Most. 35, 652, 1026a (p. 63); Pers. 145, 688; Poen. 807, 1040 sq. (p. 63); Pseud. 866 sq., 1044 sq. (p. 58), 1080; Stich. 410 (p. 46); Truc. 635 sq.

Ad partem versus pertinet vis vocis his locis: Curc. 392, 419; Epid. 423 sq.; Mil. gl. 496, 568, 1305; Poen. 743; Rud. 510, 834 (p. 65).

Hi versus magna diligentia compositi sunt, quamquam hic vel ille formae laxioris est, sive ita ut, in quo est *quaeso*, indissolutus vel levis sit, qui sequitur dissolutus, ut: Capt. 747 sq.; Cas. 495 sq.; Cist. 747 sq. (p. 46); Curc. 245—247; Mil. gl. 865 sq.; Pseud. 885—887 (p. 65); Trin. 146 sq.
sive ita ut, qui continet vocem aff., dissolutus, qui sequitur, indissolutus vel levis sit, ut: Amph. fr. XII; Pers. 116—118; Poen. 468 sq.; Trin. 189 sq.

Minima cura hi versus structi sunt: Cist. 554 sq.; Poen. 58, 785 sq. (p. 65).

Utuntur igitur longe plurimi versus, quibus *quaeso* inest, elegantissima forma.

8. ecce.

Albrecht Köhler: Archiv für lat. Lexikographie V p. 16 exposuit:

> „Die Partikel *ecce* dient dazu, in der Form eines deiktischen Ausrufs die Aufmerksamkeit des Angeredeten auf eine Erscheinung zu lenken".

Qui illud *ecce* loquitur, quasi digito ad eum monstrat, quem vocat. Itaque colligamus exempla, quibus inest haec particula.

His locis nullus versus dissolutus est: Amph. 497 sq.; Aul. 712; Capt. 169—171 (de 170 p. 44; de 171 p. 46);[1]) Cas. 350—352; Curc. 676/8; Epid. 186; Men. 898; Merc. 271, 671; Mil. gl. 1290; Poen. 203, 1047 sq.; Pseud. 410 sq.; Rud. 1356.

Haec exempla non totum versum explent: Aul. 536; Cas. 574, 593; Curc. 455/6; Men. 888; Merc. 329 sq., 561, 747, 792; Mil. gl. 1310; Most. 660, 676, 997 sq.; Pers. 738 sq.; Poen. 470; Stich. 270.

Hoc loco alter indissolutus est, is, cui *ecce* inest, alter dissolutus:

ᵃSed Phílolachetis sérvolum eccum Tránium,[2]) Most. 560
ᶜQui míhi neque faenus néque sortem argentí danunt.

---

[1]) cf. de 169 Birt l. l. p. 59.
[2]) cf. Birt l. l. p. 363.

Sed sufficiunt, ni fallor, haec exempla. Ceterum A. Köhler l. l. p. 17 dicit:

> „Je nachdem nun der Ausruf sich zu einem emphatischen *siehe!* erhebt oder zum schwach betonten *schau, da* herabsinkt, je nachdem die Aufmerksamkeit der Sinne, des Verstandes, des Gemütes in Anspruch genommen, der Angeredete gegenwärtig oder blos vorgestellt erscheint, die Erscheinung endlich eine sinnliche oder geistige, eine überraschende oder erwartete, eine bedeutende oder im Verhältnis zum Vorhergehenden einfach andere ist, ergeben sich die mannigfachsten Modifikationen des Gebrauchs."

Itaque nemo erit quin intellegat etiam versus esse, qui non eadem diligentia conformati sint et qui neglegi possint.

9. heus.

Paullatim ad finem huius capitis pervenimus, in quo voces affirmativas respicimus. Iam afferendi sunt ei versus, quibus *heus* inest. Quae vox animos audientium perducit ad id, quod quis dicturus est. Ut exemplo utar, si quis vocat quendam, saepissime primum *heus!* exclamat, ut animos omnium commoveat, atque tum nomen eius dicit, quem petit. Sed adscribamus versus eiusmodi artificiosos atque primum eos, qui totum versum explent ut: Curc. 276; Men. 731 (p. 64); Most. 467, 680 sq.; Pers. 459—461, 725 sq; Poen. 205 sq., 1118 sq., 1320 sq.; Rud. 140 sq. (p. 50), 481 sq., 830 sq.; Truc. 682 sq.; Faeneratrix fr. I (p. 41).

Tum eos colligam, qui partes solum versuum explent: Bacch. 327; Epid. 472 sq.; Mil. gl. 1297; Most. 651; Rud. 97, 828.

Hi loci diligentius conformati sunt, quamquam versus, qui sequitur, dissolutus est: Merc. 800—802; Most. 899 sq.

Quamquam Poen. v. 709, cui *heus* inest, dissolutus est, tamen artificiosum hunc locum dicere possumus, quoniam is, qui sequitur indissolutus est.

Horum versuum structura neglecta est: Bacch. 582; Epid. 398 sq.; Mil. gl. 522 sq.

10. profecto. nullo pacto.

Ad extremum nonnullos versus exscribam, quos qui loquitur, orationem suam affirmat addito *profecto*. Sunt hi: Asin. 25 sq. (de 26 p. 45); Bacch. 520; Capt. 119 sq. (p. 45); Curc. 402 sq., 425 sq.; Epid. 393, Mil. gl. 1292—1294; Most. 417; 1024 sq. (p. 58); Poen. 969 sq.; Pseud. 894 sq., 903 sq.; Trin. 511. Imprimis:

ᵃProfécto nullo pácto possum vívere, Pseud. 94 (p. 37 et 46)
ᵇᵇSi illa á me abalienátur atque abdúcitur.

Hic enim praeter *profecto* vocem aff. etiam illa gravissima *nullo pacto* adest. Addam autem nonnullos versus, qui, quoniam continent eandem negationem ponderosam, magna cura elaborati sunt:

[cc]Mirúmst me ut redeam te ópere tanto quaésere, Bacch. 178
[a]Qui abíre hinc nullo pácto possim, sí velim:
[bb]Ita mé vadatum amóre vinctumque ádtines.
[c]Quid núnc mihi's auctor út faciam, Palaéstrio, Mil. gl. 1094
[a]De cóncubina? nám nullo pactó potest
[c]Prius haéc in aedis récipi quam illam amíserim.

Haec quidem de vocibus affirmativis. Videmus omnes, quas attuli, i. e. *mecastor, edepol, pol, hercle, pro di immortales, obsecro, quaeso, ecce, heus, profecto, nullo pacto* efficere, ut versus, cum habeant gravem sonum, a poeta aut elegantissime aut certe elegantius expoliti sint, etiamsi scilicet differentia quaedam est inter singulos.

Caput III.

De versibus, qui iussum continent.

[aa]Constrínge tu illi |, 'Artamo, actutúm manus Bacch. 799

imperat Nicobulus senex lorario atque in versu sequente:

[a] Inpinge púgnum, si muttíverit,

i. e. versibus iudissolutis. Quid facilius intellegi potest? Res ipsa postulat, ut hi versus, quibus mandatum datur alicui, quod statim conficiendum est, gravissime incedant. Atque vidimus versus quo gravius recitandi sunt, eo minoribus numero solutionibus a poeta conformatos esse.

Colligamus similia exempla atque primum ea, quibus eisdem lorariis imperatur:

[c]Advórte animum sis: tu ístos captivós duos Capt. 110 (de 118 p. 45)
[a]Herí quos emi dé praeda a quaestóribus,
[a]Is índito caténas singulárias
[b]Istás, maiores quíbus sunt iuncti démito.
[bb]Sinito ámbulare, si foris si intús volent:
[b]Sed uti ádserventur mágna diligéntia.
[b]Libér captivos ávis ferae consímilis est:
[c]Semél fugiendi sí datast occásio,
[b]Satis ést — numquam postílla possis préndere.
[b]Sed sátis verborumst: cúra quae iussi átque abi. Capt. 125
[aa]Adstríngite isti súltis vehementér manus. Capt. 667
[a]I tu hínc ad villam atque ístos rastros vílico Merc. 277
[b]Pisto ípsi facito ut coram tradas ín manum.

[b]Uxóri facito ut núnties negótium
[a]Mihi ésse in urbe, né me expectet: nám mihi
[b]Tris hódie leiteis iúdicandas deícito.

His versibus dominus servo imperat:

[a]Vigínti iam usust fílio argentí minis: Asin. 89
[b]Face id út paratum iám sit.
[a]Me défraudato.
[a]Qua mé, qua uxorem, quá tu servom Saúream Asin. 96
[a]Potés, circumduce, aúfer: promittó tibi
[aa]Non óbfuturum, si íd hodie | efféceris.[1])
[aa]Tibi óptionem súmito Leónidam: Asin. 101 (de 102 p. 44)
[b]Fabricáre quidvis, quídvis comminíscere:
[c]Perfícito argentum | hódie ut habeat fílius,
[a]Amícae quod det.
[a] abdúcite hunc Bacch. 822
[a]Intro átque adstringite ád columnam fórtiter.
[a]Auscúlta porro, dum hóc quod scriptumst pérlego. Bacch. 1005
[aa]Cape hóc tibi aurum, Chrýsale: i, fer fílio. Bacch. 1059
[aa]Abdúcite istum actútum ad Hippolytúm fabrum, Capt. 733
[a]Iubéte huic crassas cómpedes inpíngier:
[a]Inde éxtra portam ad meúm libertum Córdalum
[c]In lápicidínas fácite deductús siet.
[b]Atque húnc me velle dícite ita curárier,
[b]Ne quí deterius huíc sit quam quoi péssumest.
[a] Aequom orás: abi. Cas. 500
[a]Argénto parci nólo: obsonato ámpliter.
[a] i, Palaéstrio, Mil. gl. 1301
[b]Aurum, órnamenta, véstem, pretiosa ómnia
[a]Duc ádiutores técum ad navim quí ferant.
[a] pultadúm fores Most. 674
[bb]Atque évoca aliquem | intus ad te, Tránio.
[a]Tu abdúc hosce intro et úna nutricém simul Poen. 1147
[a]Iube hánc abire hinc ád te. || Fac quod ímperat.
[aa]Indíce ludos núnciam, quandó lubet. Pseud. 546
[a]Luto úsust multo, múltam terram cónfode. Rud. 100
Strénue Trin. 1102
[c]Curre ín Piraeum atque únum curriculúm face.
[a]Vidébis iam illic návem qua advectí sumus.
[a]Iubéto Sagariónem quae imperáverim
[aa]Curáre ut efferántur, et tu itó simul.

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 341.

[a]Solútumst portitóri iam portórium.
[aa]Nil ést morae. cito ámbula: actutúm redi.
[aa]Cilíx, Lycisce, Sósio, Stiche, Pármeno, fr. fab. inc. XXIX
[a]Exíte et ferte fústos privos ín manu.

Fere omnes igitur versus solutiones vitant. In his exemplis adulescens servo mandatum dat:

[a]I, adfér mihí arma | ét loricam addúcito. Cist. 284

Cist 287 sq. cf. supra p. 44 et 47

[a]Exsúscitate vóstram huc custodém mihi. Curc. 91
[a]Adei átque appella, quíd velit, quid vénerit, Poen. 992
[a]Quei sít, quoiatis, únde sit: ne párseris.
[b]Maledícta hinc aufer: línguam conpescás face. Poen. 1035
[bb]Maledícere huic tu témperabis, sí sapis:
[b]Meis cónsanguineis nólo te iniusté loqui.
[a]Duc me ád lenonem récta. ubi illic ést homo? Rud. 851
[c]Abi sáne ad litus cúrriculo, Trachálio, Rud. 855
[bb]Iube illós in urbem íre óbviam ad portúm mihi,
v. 857 corruptus est
[b]Post húc redito atque ágitato hic custódiam.
[aa]In iúre causam dícito: hic verbúm sat est. Rud. 866
[b]Age abdúc hasce intro quás mecum adduxí, Stiche. Stich. 418
[b]Age abdúce hasce intro. húnc tibi dedó diem. Stich. 435
[aa]Sed, Stásime, abi huc ad meám sororem ad Cálliclem: Trin. 577
[aa]Dic hóc negoti quó modo actumst.

Iuppiter imperat Alcumenae:

[a] Évocate huc Sósiam: Amph. 949
[a]Gubérnatorem, quí ín mea naví fuit,
[a]Blepharónem arcessat, quí nobiscum prándeat.
[c]Is ádeo inpransus —◡ ludificábitur,
[a]Quom ego 'Amphitruonem cóllo hinc obstrictó traham.

Amphitruoni:

[c]Nil ést quod timeas: háriolos, harúspices Amph. 1132
[a]Mitte ómnes: quae futúra et quae facta éloquar,
[c]Multo ádeo melius quam ílli, quom sum Iúppiter.
[a]Tu cum 'Alcumena uxóre antiquam in grátiam Amph. 1141
[c]Redi: haúd promeruit quam ób rem vitio vórteres:
[b]Mea ví subactast fácere.

Mercurio:

[b]Iam hisce ámbo, et servos ét era, frustra súnt duo, Amph. 974

[a]Qui me 'Amphitruonem réntur esse: erránt probe.
[a]Nunc tú divine | húc fac adsis Sósia.
[b]Audís quae dico, támetsi praesens nón ades.
[c]Fac 'Amphitruonem | ádvenientem ab aédibus
[b]Ut ábigas: quovis pácto fac comméntus sis.
[b]Volo déludi illum, dúm cum hac usurária
[bb]Uxóre nunc mihi mórigero. haec curáta sint
[b]Fac sís, proinde adeo ut vélle med intéllegis,
[bb]Atque út ministres míhi, mihi quom sácruficem.

Imperatur adulescenti:

[aa]Quam ad rédditurum té mihi dicís diem, Vid. 90
[a]Cave démutassis.

anui:

[b]Exi, ínquam, age exi: exeúndum hercle tibi hinc ést foras, Aul. 40 (p. 58 et 64)
[b]Circúmspectatrix cum óculis emissíciis.

Aul. 89 sqq. (de 91 sq. p. 46, de 89—100 p. 54).

[a]Tace átque abi intro. —◡— Occlúde sis Aul. 103
[a]Forés ambobus péssulis.

piscatori:

[a]Abi íntro, ne moléstus, linguae témpera. Rud. 1254

lenoni:

[aa]Age, áccipe illinc álteram clavám, Sparax. Rud. 807
[a]Age, álter istinc, álter hinc adsístite.
[a]Adsístite ambo. síc. audite núnciam:
[c]Si hercle íllic illas hódie digito tétigerit
[a]Invítas, nei istunc ístis invitássitis
[c]Usque ádeo, donec quá domum abeat nésciat,
[a]Perístis ambo. si áppellabit quémpiam,
[a]Vos réspondetote ístinc istarúm vicem.
[aa]Sin ípse abire | hínc volet, quantúm potest
[a]Extémplo amplectitóte crura fústibus.
[c]Et ubi ílle servos cúm | ero | huc advénerit, Rud. 818
[a]Qui erum árcessivit, ítote extempló domum.
[a]Curáte haec sultis mágna deiligéntia.

Coquus mandat eis, qui imperio eius subiecti sunt:

[a]Dromó, desquama píscis: tu, Machaério, Aul. 398
[a]Congrúm, murenam exdórsua quantúm potest.
[c]Agite íte actutum: nám mihi amatorí seni Merc. 741
[a]Coquéndast cena |: átque quom recógito,
[a]Nobís coquendast, nón quoi conductí sumus.
[b] Agite appónite Merc. 779
[c]Opsónium istuc ánte pedes illí seni.

Omnia imperata, quae modo collegi, dantur inferiori vel minori natu. Versus eiusmodi igitur strenuae formae sunt. Neque aliter res se habet his in versibus, quibus parasitus negotia defert sive ad puerum, ut:

[b]Tu dúdum, puere, cum íllac usque istí semul: Bacch. 577 (de 579 p. 57)
[a]Quae harúm sunt aedes, púlta: ad actutum ád fores.
[a]Recéde hinc dierécte.

sive ad lenonem, ut:

[a]Age ámbula in ius, léno. Pers. 745
[a] Surdus sum: ámbula. Pers. 750
[b]Sequere hác, sceleste, féles virginária.
[b]Sequere hác, mea gnata, me úsque ad praetorém.

Servus puero mandat:

[a]Clavím cedo atque abi íntro atque occlude óstium. Most. 425

leno coquo:

[c]Nunc ádeo tu, qui méus es, iam edicó tibi, Pseud. 855 (de 861—864 p. 46)
[b]Ut nóstra properes ámoliri | ómnia[1]):
[cc]Tum ut húius oculos ín oculis habeás tuis.
[a]Quoquo híc spectabit, eó tu spectató simul.
[c]Siquo hic gradietur, páriter progredímino.
[c]Manum sí protollet, páriter profertó manum.
[b]Suom síquid sumet, íd tu sinito súmere:
[a]Si nóstrum sumet, tú teneto altrínsecus.
[a]Si iste íbit, ito: stábit, astató simul.
[a]Si cónquiniscet ístic, conquiníscito.
[b]Item hís discipulis prívos custodés dabo.

Callicles senex imperat Megaronidi seni:

[a]Abi ád thensaurum iám confestim clánculum: Trin. 798 (p. 46)
[a]Servós, ancillas ámove: atque audin?

Postquam Callicles consilium iniit, id ei scilicet videndum est, ut illud conficiatur.

Sed quo modo sunt versus facti, quibus quis ei, qui revera dominus est, negotium dat? Exempla afferam. Chrysalus servus imperat Pistoclero adulescenti:

[a]Abi íntro: ego hic curábo. tu intus dícito Bacch. 227
[a]Mnesílochum adesse Bácchidi,

qui narraverat Bacchidem emptam a milite quodam paucis diebus post abduci. Chrysali erat auxilium et aurum afferre. Quid? nonne

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 321.

perspicuum est etiam Pistoclerum dominum, cum res ita se habeat, servo oboedire? Tranio servus mandatum dicit nomine Theopropidis senis:

[a]Et, heús, iube illos íllinc ambo abscédere. Most. 467 (de 467 p. 69)
[a]◡ — ◡ Aedes ne áttigatis. tángite
[b]Vos quóque terram.

Lampadio servus dicit Phanostratae mulieri:

[a]Da istí cistellam et íntro abi cum istác semul. Cist. 770

Sed antea addidit verba: „Sic faciundum censeo“, qua de causa hunc versum alio loco tractare melius est. Most. vv. 1 sqq. iam p. 58 consideravi, quibus servus servo imperat, quoniam minoris interesse mihi videtur negotium dari quam increpitari.

His versibus exceptis mandatum, quod ei datum est, qui revera dominus est, laxioribus senariis comprehensum est, ut: Epid. 437—439; Pers. 148—152, 676—680, 727—729; Stich. 453.

Antequam relinquo hoc caput, hi versus in comparationem vocandi esse mihi videntur, qui non spectant ad mandatum conficiendum, sed confectum:

[c] Hós ut accipiás coquos Aul. 351
[aa]Tibícinamque obsóniumque in núptias.
[aa]Megadórus iussit Eúclioni haec mittere.
[a]Sed tú quid factitásti mandatís super? Bacch. 195
[b]Nunc me íre iussit ád eam et percontárier, Bacch. 575
[a]Utrum aúrum reddat ánne eat secúm semul.
[aa]Nunc hás tabellas férre me iussít tibi: Bacch. 787
[b]Orábat quod istic ésset scriptum ut fieret.
[a] Iamne ornáta res? Cas. 578
[a]Iamne hánc traduxti huc ád nos vicinám tuam,
[a]Quae te ádiutaret? ‖ Arcessivi ut iússeras:
[bb]Verum híc sodalis túos, amicus óptumus,
[a]Nescióquid se sufflávit uxorí suae:
[b]Negávit posse, quóniam arcesso, míttere.
[aa]Nempe óbloqui me iússeras. ‖ At núnc veto. Curc. 42
[a] Multam mé tibi Curc. 420
[a]Salútem iussit Thérapontigonus dícere
[b]Et hás tabellas dáre me iussit.
[a]Quod ístic scriptumst, íd te orare iússerat Curc. 425 (p. 69)
[b]Profécto ut faceres, suám si velles grátiam.
[c]A mátre illius vénio. si | iturást, eat. Mil. gl. 1299
[b]Omnís moratur: návim cupimus sólvere.
[a] Panégyris Stich. 247
v. 248 corruptus est
[a]Mecúm simitu ut íres ad sesé domum.

[aa]Rus máne dudum hinc íre me iussít pater, Truc. 645
[aa]Ut búbus glandem prándio deprómerem.

Omnes fere hi versus summa diligentia conformati sunt neque mirum est, quoniam non minoris interest mandatum confici quam dari. Utriusque modi versus gravi sono recitantur.

Caput IV.

De versibus, qui spectant commutationem scaenae.

1. De versibus, quos pronuntiat, qui prodit in scaenam.

Iam supra, cum egi de fragmentis tragicorum Romanorum, exposui versus, qui primi scaenae alicuius vel actus leguntur, elegantioris formae esse solere. Id quod mirum non est. Nam opus esse mihi videtur eum, qui audit, initio comperire distinctius, cum qui versus, tum quod metrum adhibeatur. Itaque primi versus et actuum et scaenarum quam diligentissime poetis componendi erant. Sed exempla afferamus atque, ut dispositionem quandam rerum sequamur, nunc eos versus inspiciamus, quos, qui primum prodit in scaenam, pronuntiat, tum ceteros explicemus.

In Amph. fabula Mercurius prologum his verbis incipit:

[a]Ut vós in vostris vóltis mercimóniis Amph. 1 (de 1 p. 45)
[a]Emúndis vendundísque me laetúm lucris . . .

Ceteri personae huius fabulae primum incedentes non utuntur senariis iambicis. Asin. fabulae hoc est initium:

[b]Hoc ágite sultis, spéctatores, núnciam: Asin. 1
[b]Quaequídem mihi atque vóbis res vortát bene . . .

Actum primum Libanus servus et Demaenetus senex incipiunt:

[aa]Sicút tuom vis únicum gnatúm tuae Asin. 16 (p. 31 et de 17 p. 46)
[bb]Superésse vitae sóspitem et supérstitem . . .

et:

[b]Per Díum Fidium quaéris: iurató mihi Asin. 23
[bb]Videó necesse esse éloqui quidquíd roges,

aut si hos versus cum Fleckeiseno secludimus:

[b]Ita me óbstinate adgréssu's, ut non aúdeam Asin. 25 (p. 69 et de 26 p. 45)
[a]Profécto percontánti quin promam ómnia.

His verbis prodeunt primum Diabolus et parasitus:

[b]Agedum ístum ostende quém conscripsti sýngraphum Asin. 746
[c]Intér me et amicam et lénam. leges péllege:
[bb]Nam tú poeta's prósus ad eam rem únicus.

[a]|| Horréscet faxo léna, leges quom aúdiet.[1])

Lar familiaris dicit:

[a]Nequís miretur quí sim, paucis éloquar. Aul. 1

Aul. vv. 40 sqq. prima verba faciunt Euclio senex et Staphyla anus (cf. supra p. 58 et 64 et 73):

[b]Exi, ínquam, age exi: exeúndum hercle tibi hinc ést foras,
[b]Cricúmspectatrix cum óculis emissíciis.
[b]|| Nam cúr me miseram vérberas?

Sed plura exempla sunt, quae deinceps exscribam.

[b]Postquam óbsonavit érus et conduxít coquos Aul. 280
[bb]Tibícinasque hasce ápud forum, edixít mihi,
[a]Ut díspertirem obsónium hic bifáriam.
|| v. 283 corruptus est
[c]Siquó tu totum me íre vis, operám dabo.
[c]|| Bellum ét pudicum véro prostibulúm popli.
[a]Post síquis vellet, te haúd non velles dívidi.
[c]Curáte: ego intervísam quid faciánt coqui: Aul. 363 (de 364 p. 64, de 365 sq. p. 46)
[c]Quos pól ut ego hodie sérvem cura máxumast.
[c]Nisi únum hoc faciam, ut ín puteo cenám coquant:
[b]Inde cóctam sursum súbducemus córbulis.

Bacch. fabulae initium pessime traditum est, ut inde nihil concludere possimus. Sed Lydus primum prodit his verbis:

[bb]Iam dúdum, Pistocl ére, tacitus té sequor Bacch. 109
[a]Exspéctans quas tu rés hoc ornatú geras.
[c]Erílis patria, sálve, quam ego biénnio Bacch. 170[2])
[c]Postquam hínc in Ephesum | ábii conspició lubens.
[a]Salúto te, vicíne Apollo, qui aédibus . . .
[a]Ibo ín Piraeum: vísam | ecquae advénerit Bacch. 235
[a]In pórtum ex Epheso návis mercatória.
[cc]Parasítus ego sum | hóminis nequam atque ínprobi, Bacch. 573
[b]Milítis qui amicam sécum avexit éx Samo.
[a]Hos quós videtis stáre hic captivós duos . . . Capt. 1
[a]Iuvéntus nomen índidit Scortó mihi . . . Capt. 69

Capt. 110 sqq. (p. 70); Capt. 119 sq. (p. 45 et 69).

[b]Salvére iubeo spéctatores óptumos, Cas. 1
[b]Fidém qui facitis máxumi | et vós Fides.
[a]Non míhi licere meám rem me solum út volo Cas. 89
[bb]Loqui átque cogitáre sine ted árbitro?
[cc]Quid tú, malum, me séquere? || Quia certúmst mihi,

---

1) de hoc versu cf. supra p. 38.
2) de hoc loco postea agam p. 86.

[aa] Quasi úmbra, quoquo tu íbis te semper sequi.
[c] Utrúmque haec, et multíloqua et multibiba, Cist. 149
ést anus:
[c] Satin víx reliquit deó quod loqueretúr loci?
[bb] Itá properavit dé puellae próloqui . . .
[aa] Audíre vocem vísa sum ante aedís modo . . . Cist. 543
[b] Quo téd hoc noctis dícam proficiscí foras Curc. 1
[a] Cum istóc ornatu cúmque hac pompa, Phaédrome?
[aa] || Quo Vénus Cupidoque ímperat, suadét Amor . . .
[a] Migráre certumst iám nunc e fanó foras . . . Curc. 216
[a] Palinúre, quid stas? quín depromuntúr mihi . . . Curc. 251
[c] Beátus videor: súbduxi ratiúnculam, Curc. 371
[b] Quantum aéris mihi sit quántumque alieni siet.
[a] Cave praéterbibas úllas aedis, quín roges . . . Epid. 437 (p. 75)
[c] Salútem primum iam á principio própitiam Men. 1
[a] Mihi átque vobis, spéctatores, núntio.
[a] Iuvéntus nomen fécit Peniculó mihi . . . Men. 77
[a] Volúptas nullast návitis, Messénio . . . Men. 226
[a] Menaéchme, amare aít te multum Erótium . . . Men. 524
Men. v. 559 corruptus est, sed:
[b] Ubi vír compilet clánculum quicquíd domist . . . Men. 560 (p. 46)
[b] Quid esse ílli morbi díxeras? narrá, senex . . . Men. 889
[bb] Duas rés simul nunc ágere decretúmst mihi . . . Merc. 1
[c] Mirís modis di lúdos faciunt hóminibus Merc. 225 (p. 46)
[a] Mirísque exemplis sómnia in somnís danunt.
[aa] Profécto ego illunc hírcum castrarí volo . . . Merc. 272
[b] Quoniam á viro ad me rús advenit núntius . . . Merc. 667
[c] Agite íte actutum: nám mihi amatorí seni Merc. 741 (p. 73)
[a] Coquéndast cena | : átque quom recógito . . .
[b] Curáte ut splendor meó sit clipeo clárior . . . Mil. gl. 1
[a] Stat proptér virum Mil. gl. 9 (p. 50)
[a] Fortem átque fortunátum et forma régia . . .
[a] Mihi ad énarrandum hoc árgumentumst Mil. gl. 79
cómitas . . .
[b] Non óperaest Sceledro. — ◡ Sorbet dórmiens. Mil. gl. 818
[c] Ne mé moneatis: mémini ego officiúm meum. Mil. gl. 1378
[c] Ego nám conveniam | illum, ubi ubist géntium,[1])
[b] Invéstigabo | : óperae non parcó meae.

Porro huc pertinent: Most. 1 (p. 58 et 75), 9, 431, 532; Pers. 53, 336, 400 (p. 33); Poen. 1, 129—134, 135, 449 (p. 29), 1120;

[1]) cf. Birt l. l. p. 331.

Pseud. 3, 415 (p. 37), 427 (p. 60), 767, 798; Rud. 1, 83 (p. 66), 89, 97 sqq. (de 97 p. 69), 486; Stich. 155 (p. 55), 196—197 (p. 55), 402 (p. 29), 419—420, 649; Trin. 1, 23, 39, 402; Truc. 1, 22, 352, 645 (p. 76).

Usque adhuc omnes versus personae primum incedentis contuli. Quos videmus fere omnes formam elegantissimam habere. Nam 'onge plurimis locis primus versus indissolutus vel levis est, saepissime etiam plures. Et si quando res aliter se habet, paulo post versus diligentius elaboratus sequitur, id quod numquam fit nisi media in fabula medioque in actu, ut vv. Aul. 363, Bacch. 170, 573, Capt. 110, Cist. 149, Mil. gl. 1378 etc. Excepti sunt soli Poen. vv. 129 sqq., quibus incipit primus actus. Sed nescio an fieri possit, ut blanditiae, quae verbis insunt, causa structurae neglectae sint. Interdum etiam, quoniam qui loquitur iam diutius in scaena erat neque locutus est, versus laxioris formae sunt, ut Stich. vv. 196 et 419.

Nunc pervenimus ad ceteros versus, quos pronuntiat, qui rursus procedit in scaenam. Exempla exscribam.

[b] Ego sum ílle Amphitruo, cuí | est servos Sósia . . . Amph. 861
[cc] Duráre nequeo in aédibus, ita mé probri, Amph. 882
[b] Stuprí, dedecoris á viro argutám meo . . .

Amph. 1131 sqq. (de 1132 sqq. p. 72); Asin. 810 sqq. (de 810 sq. p. 33, de 812 sqq. p. 42); Aul. 79 sqq. (p. 53 et de 80 p. 46).

[b] Volui ánimum tandem cónfirmare hodié meum . . . Aul. 371

Aul. 398 sq. (p. 73); Aul. vv. 475—479 sunt dissoluti, sed qui sequitur indissolutus est (cf. de omnibus his versibus supra p. 56):

[a] Ut índotatas dúcant uxorés domum. Aul. 480
[c] Dixí tibi mater: iúxto mecum rém tenes Aul. 682 (de 683 sqq. p. 67)
[bb] Super Eúclionis fília: nunc te óbsecro . . .

Bacch. 178 sqq. (p. 70); Bacch. v. 770 corruptus est, sed:

[b] Suptérfugisse sic mihi hodie Chrýsalum. Bacch. 771

Bacch. 799 (p. 70).

[aa] Meamne híc Mnesilochus, Nícobuli fílius . . . Bacch. 842

Bacch. 1059 (p. 71).

[c] Una édepol opera in fúrnum calidum cóndito Cas. 309 (p. 63)
[b] Atque íbi torreto mé pro pane rúbido . . .

Cas. 437 sq. (p. 59).

[bb] Stultítia magnast meá quidem senténtia . . . Cas. 563
[bb] Viso húc, amator sí | a foro rediít domum . . . Cas. 591

Cas. 759 sqq. (p. 64, porro de 770 sq. p. 45, de 762 p. 44).

[bb] Si sápitis, uxor, vós tamen cenábitis . . . Cas. 780
[a] Anúm sectatus súm clamore pér vias . . . Cist. 536
[b] Si récte facias, Phaédrome, auscultés mihi . . . Curc. 223
[bb] Non óris causa módo hominis aequóm fuit . . . Epid. 382

[a] Bene ópsonavi atque éx mea senténtia . . . Men. 273
[cc] Potine út quiescas? égo tibi hanc hodié probe Men. 466
[c] Lepidéque concinnátam referam témperei.
[b] Non fáxo eam esse díces: ita ignorábitur.
[b] Nimis stúlte dudum féci, quom marsúppium . . . Men. 701

Men. 882 (p. 44).

[b] Tandem ímpetravi, ut égomet me — Merc. 544
corrúmperem . . .
[a] Addúcam ego illum iam ád te, si convénero. Merc. 562
[c] Parumne ést malai réi quod amat Démipho, Merc. 692
[bb] Ni súmptuosus ínsuper etiám siet? . . .

Merc. 700 sqq. (p. 36 et de 703 p. 46).

[b] Era quó me misit, ád patrem, non ést domi . . . Merc. 803
[b] Non hércle hisce homines mé marem, sed Mil. gl. 486
féminam . . . (p. 64).
[c] Alium álio pacto própter amorem ní sciam Mil. gl. 1284
[cc] Fecisse multa néquiter, vereár magis
[a] Me amóris causa | hóc ornatu incédere . . .

Cf. porro: Most. 547, 998; Pers. 81, 329—331, 405, 449, 683; Peon. 207, 615, 711, 746 (p. 30), 797 (p. 65), 961—962, 1338; Pseud. 790 (p. 52), 1038 (p. 37), 1052, 1063; Rud. 458 (p. 66), 593—594, 839—840, 892—894, 1191 (p. 66), 1227; Stich. 454, 641; Trin. 729 et 731 (p. 65), 1093; Truc. 322, 669.

Videmus igitur hos quoque versus longe plurimos elegantioris formae esse. Tamen interest inter versus, quos loquitur, qui primum init, et quos qui iam antea spectatoribus se ostendit. Illi paulo diligentius expoliti sunt quam hi. Habent enim plurimis locis primum versum indissolutum, cum hi incipiant plerumque a levi. Tum hi loci saepius primum vel primos versus dissolutos praebent aut versum indissolutum vel levem sequuntur dissoluti. Adhibebat igitur Plautus paulo maiorem diligentiam in eis versibus componendis, quos pronuntiat, qui primum incedit in scaenam, quam qui rursus venit.

2. De versibus, quibus nomen alicuius proditur.

[a] Iuvéntus nomen índidit Scortó mihi Capt. 69

Ergasilus dicit incedens, ut supra (p. 77) vidimus, atque his verbis spectatoribus nomen suum prodit, i. e. versu indissoluto. Quaeramus similia. Crocotio salutem impertienti his verbis:

[aa] Gelásime salve. Stich. 239

respondet Gelasimus:

Nón id est nomén mihi.

Atque cum illa admirata sit:

[a] Certó mecastor id fuit nomén tibi, Stich. 240 (p. 62)

dicit parasitus hos versus:

[aa] Fuít disertim, vérum id usu pérdidi: Stich. 241
[aa] Nunc Míccotrogus nómen e veró vocor,

qui omnes summa arte exculti sunt. Iuppiter commemorat apud spectatores se commutasse nomen vestemque et factum esse Amphitruonem:

[b] Ego sum ílle Amphitruo, cuí | est servos Sósia, Amph. 861
[a] Idém Mercurius quí fit quando cómmodumst. (p. 79)
[cc] In súperiore qui | habito cenáculo,
[a] Qui intérdum fio Iúppiter, quandó lubet.
[a] Huc aútem quom extemplo ádventum adporto, ílico
[a] Amphítruo fio et véstitum inmutó meum.

Curculio se producit hoc versu:

[b] Libértus illius, quem ómnes Summanúm vocant, Curc. 413

atque cum Lyco ei nomen dederit Summanum, hanc permutationem declarat:

[b] Quia véstimenta, ubi óbdormivi | ébrius, Curc. 415
[a] Summáno, ob eam rem me ómnes Summanúm vocant.

Maxime commemorandi sunt hi versus, quibus Arcturus non solum nomen suum prodit, sed etiam dicit, quam familiariter dis utatur atque qua ratione homines adiuvare possit:

[b] Qui géntes omnes máriaque et terrás movet, Rud. 1 (de 1
[aa] Eiús sum civis cívitate caélitum. p. 79, de 2
[b] Ita sum út videtis spléndens stella cándida, et 17 p. 46,
[c] Signúm quod semper témpore exoritúr suo de 13 p. 45,
[a] Hic átque in caelo. nómen Arcturóst mihi. de 19 sq. p. 47)
[a] Noctú sum in caelo clárus atque intér deos,
[a] Intér mortalis ámbulo | intérdius.
[b] Et ália signa dé caelo ad terram áccidunt:
[b] Quist ímperator dívom atque hominum Iúppiter,
[c] Is nós per gentis álium | alia dísparat,[1])
[c] Qui fácta | hominum, móres, pietatem ét fidem
v. 12 corruptus est
[a] Qui fálsas litis fálsis testimóniis
[a] Petúnt quique in iure ábiurant pecúniam,
[bb] Eorúm referimus nómina exscripta ád Iovem.
[aa] Cotídie ille scít quis hic quaerát malum.
[aa] Qui hic lítem apisci póstulant peiúrio
[c] Malí, res falsas qui ímpetrant apud iúdicem,
[bb] Iterúm ílle eam rem iúdicatam iúdicat:
[a] Maióre multa múltat quam litem aúferunt.
[c] Bonós in aliis tábulis exscriptós habet.

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 348.

[bb]Atque hóc scelesti in ánimum | inducúnt suom,[1])
[a]Iovem sé placare pósse donis, hóstiis:
[c]Et óperam et sumptum pérdunt. id eo fít, quia
[a]Nil éi acceptumst á periuris súpplici.
[c]Facílius siqui píus est a dis súpplicans
[c]Quam quí scelestust ínveniet veniám sibi.

Ex his 26 numero versibus — unus enim corruptus est — 11 indd. sunt, 7 ll., 8 diss. Constructio igitur elegantissima est, praesertim si cogitamus, quam multas solutiones res metrica Romanorum sibi concesserit. Quo Arcturus redit his verbis:

[aa]Nam Arctúrus signum sum ómnium | acérrumum: Rud. 70
[b]Veheméns sum exoriens, quom óccido veheméntior.

Gelasimus dicit:

[a]Gelásimo nomen mihi índidit parvó pater, Stich. 174
[c]Quia indé iam a pausillo púero ridiculús fui. (p. 55)
[c]Proptér pauperiem hoc ádeo nomen répperi,
[c]Eo quía paupertas fécit ridiculús forem.

Porro cf.:

[a] nómen Mercurióst mihi. Amph. 19
[a]Nequís miretur quí sim, paucis éloquar. Aul. 1 (de 1
[c]Ego Lár sum familiáris ex hac fámilia p. 77)
[a]Unde éxeuntem me áspexistis. hánc domum
[c]Iam múltos annos ést quom possideo ét colo
[a]Patrí | avoque iam húius qui nunc híc habet.[2])

Bacch. 573 sq. (p. 77).

[b]Nam mihist Auxilio nómen. Cist. 154

Men. 77 (p. 78).

Usque adhuc eos versus contuli, quos qui loquitur ipse quis sit certiores facit sive spectatores sive histriones. Atque omnes fere eleganter et blande defluunt. Sed non semper ipse nomen suum dicit, saepissime alter animos audientium in eum, qui prodit, dirigit nuntiatque nomen eius. Cuiusmodi versus nunc inspiciamus. Palinurus servus cum audiverit aliquem dicentem nomen suum, respondet:

[c] Quis hic ést homo Curc. 230
[b]Cum cóllativo véntre atque oculis hérbeis?
[a]De fórma novi: dé colore nón queo
[a]Novísse. iamiam nóvi: lenost Cáppadox,

quibus verbis factis, qui iniit, omnibus notus est. Cf. porro:

[b]Sed 'Amphitruonis íllic est servos Sósia: Amph. 148
[a]A pórtu | illic núnc cum lanterna ádvenit.
[b]Atque áperiuntur aédis: exit Sósia. Amph. 955

[1]) cf. Birt l. l. p. 314.
[2]) cf. Birt l. l. p. 310.

[a]Nam quó te dico ego íre? || Si tu mé roges, Curc. 12
[b]Dicam út scias. || Si rógitem, quid respóndeas?
[a]|| Hoc Aésculapi fánumst. || Plus iam annó scio.

Qui locus maxime commemorandus est, quoniam non persona, sed aedificium, i. e. fanum Aesculapi ostenditur.

[b]Sed méus sodalis ít cum praeda Apoécides. Epid. 394
[a]Sed quíd currentem sérvom a portu cónspicor, Merc. 109
[c]Quem návi abire vétui? timeo quíd siet.
[b]Tacéndi tempus ést: nam crepuerúnt fores. Poen. 741
[c]Forás egredier vídeo lenoném Lycum.

Poen. 1122 sqq. (p. 42 et 66).

[a] 'Ostium Pseud. 129
[b]Lenónis crepuit.
[b]Atque ípse egreditur íntus, periurí caput.
[cc]Sed sérvos illic est éius qui egreditúr foras. Rud. 79
[c]Aduléscens huc iam advéniet, quem vidébitis,
[a]Qui illám mercatust dé lenone vírginem.
[b]Meum erúm lenonem Síciliensemque hóspitem, Rud. 451
[c]Quos périisse ambos mísera censebam ín mari.
[a]Iam illúd mali plus nóbis vivit quám ratae.
[a]Epígnomi ancilla haéc quidemst, Crocótium. Stich. 238
[b]Hic illést senecta aetáte qui factúst puer. Trin. 43
[a]Qui admísit in se cúlpam castigábilem. (de 44 p. 46)
[b]Sed áperiuntur aédes quo ibam: cómmodum Trin. 400
[a]Ipse éxit Lesbonícus cum servó foras.
[a] Éstne hic Philto qui ádvenit? Trin. 432
[a]Is hérclest ipsus. (de 433 p. 65)

Sed sufficiunt, ni fallor, exempla. Neminem esse puto quin intellegat versus eiusmodi, i. e. qui producunt personam aliquam, elegantius elaboratos esse.

3. De versibus, quibus nomen Graeci auctoris dicitur.

Etiam eos versus, quibus auctor graecus fabulae nominatur, in hac paragrapho tracto, quod, etiamsi non semper initium argumenti efficiunt, tamen initium fabulae. Praeterea cum eis versibus cohaerent, quibus in conspectum producitur aliquis spectatoribus vel histrionibus.

[a]Nunc quód me dixi vélle vobis dícere Asin. 9
[a]Dicam: húic nomen Graéce Onagost fábulae:
[a]Demóphilus scripsit, Máccus vortit bárbare:
[aa]Asináriam volt ésse, si per vós licet.
[aa]Clerúmenoe vocátur haec comoédia Cas. 31
[aa]Graecé, latine Sórtientes. Deíphilus
[a]Hanc graéce scripsit, póstid rursum dénuo

[a] Latíne Plautus cúm latranti nómine.
[aa] Graece haéc vocatur Émporos Philémonis: Merc. 9
[a] Eadém latine Mércator Maccí Titi.
[a] Alázon Graece huic nómen est comoédiae: Mil. gl. 86
[aa] Id nós Latine glóriosum dícimus.
[aa] Carchédonius vocátur haec comoédia. Poen. 53
v. 54 corruptus est
[a] Huic Graéce nomen ést Thensauro fábulae: Trin. 18
[a] Philémo scripsit: Plaútus vortit bárare,
[a] Nomén Trinummo fécit.

Omnes igitur versus Poen. 54 corrupto excepto indissoluti sunt. Plurimi Graecorum artem imitantur. Atque saepius ne nomini proprio quidem solutio inest, ut ex his versibus summa poetae cura eluceat.

4. De salutatione.

Venimus nunc ad versus, quibus inest salutatio. Quos poteram tractare in ea paragrapho, in qua actum est de primis versibus incedentis personae. Nisi quod hi versus non semper initium ipsum actus vel scaenae sunt. Complures vel potius permulti versus praecedere possunt, quibus de aliis rebus verba fiunt. In hoc autem capite hi versus tractandi sunt, quoniam salutatio plerumque hominum in scaenam prodeuntium est.

[a] O Pístoclere, sálve. || Salve Chrýsale. Bacch. 182
[aa] Servós salutat Nícobulum Chrýsalus. Bacch. 243

et

[a] Quin tú salutem prímum reddis quám dedi? Bacch. 245
[a] || Salvé.
[b] Adoléscens, salve. || Sálve. sed quem quaéritas? Bacch. 587
[b] Ergásile, salve. || Dí te bene ament, Hégio. Capt. 138
[c] Salve, Pálinure. || O scelerúm caput, Curc. 234
[b] Salvéto: quid agis? || Vívo. || Nempe ut dígnus es?

Curc. 420—422 (p. 75).

[a] léno, salve. || Dí te ament. Curc. 455/6
[b] salve, méa soror. Curc. 657
[a] || Fratér mi, salve.
[a] Veníre salvom mércatorem gaúdeo. Epid. 395
[a] || Quid fít? || Di deaeque te ádiuvant. || Omén placet.
[aa] || Quin ómini omnis súppetunt res prósperae.
[a] Lysimache, sálve. || Eugae, Démipho, Merc. 283
[b] Salvéto. quid agis? quíd fit? || Quod missérrumus.
[cc] || Dei mélius faxint. || Dei hóc quidem faciúnt.
[a] O Theópropides, Most. 447
[b] Ere, sálve: salvom te ádvenisse gaúdeo.

[c] Usquín valuisti? || Usque, út vides. || Factum óptume.
[a] || Quid vós, insanin éstis? || Quidum? || Síc: quia
[bb] Foris ámbulatis: nátus nemo in aédibus . . .
[b] Salvére iubeo té, Misargyridés, bene. Most. 568
[a] || Salvéto. quid de argéntost?
[a] Sálve multum, mí pater. Pers. 739
[a] || Salvé, mea gnata.
[a] Aetóli cives té salutamús, Lyce: Poen. 621
[bb] Quamquam hánc salutem férimus invití tibi.
[a] || Fortúnati omnes sítis: quod certó scio
[b] Nec fóre nec Fortunam íd situram fíeri.
[a] hospes hóspitem Poen. 685
[a] Salútat: salvom te ádvenire gaúdeo. (de 687 p. 30)
[c] || Multá tibi dei dent bóna, quom me salvom ésse vis.
[a] Salvós sis, leno. || Deí te ament, Agorástocles. Poen. 751 (de
[bb] || Magis mé benigne núnc salutas quam ántidhac. 755 sq. p. 50)
[b] || Tranquíllitas evénit, quasi navi ín mari.
[a] Utquómquest ventus, éxim velum vórtitur.
[aa] || Valént apud te quós volo? atque haud té volo.
[a] || Valént ut postulátumst: verum nón tibi.
[c] O mí popularis, sálve. || Et tu edepol, quísquis es: Poen. 1039 (p. 63 et 68)
[b] Et síquid opus est, quaéso, dic atque ímpera
[b] Populáritatis caúsa.
[b] Mi pátrue, salve. || Ét tu salve, Agorástocles. Poen. 1076

Porro cf. Pseud. 455—457; Rud. 103, 852—854; Stich. 467—469; Trin. 48—50 (de 49 p. 63), 435—437 (de 436 sq. p. 30), 1096 ad 1098 (de 1098 p. 38); Truc. 358 sq.

Omnibus locis, quos usque adhuc contuli, duae personae inter se consalutant. Sed interdum res aliter se habet, sive obliviscitur aliquis officium respondendi, sive salutem scribit aliquis. Nunc ad exempla eiusmodi propius accedamus. Quae salutatio inest Bacch. vv. 775 sq., vera non est. Nam Nicobulus aegre fert se a Chrysalo servo deceptum esse atque statim illum vituperare incipit. Itaque eam neglegere melius esse puto, praesertim cum in v. 776 permulta nomina propria sunt dissoluta.

Cas. 1 sq. (p. 77).

[a] Summáne, salve. quí Summann's? fác sciam. Curc. 414

Men. 1 sq. (p. 78).

[a] Iubét salvere suós vir uxorém suam. Merc. 713
[c] Ehém, te quaero: sálve, vir lepidíssume, Mil. gl. 1382
[c] Cumuláte commoditáte, praeter céteros
[a] Duo dí quem curant.
[a] Avó. quoiates éstis aut quo ex óppido? Poen. 994

[a]O mi hóspes, salve múltum. nam mihi tuós pater — Poen. 1050
[aa]Patrítus ergo | hóspes Antidamás fuit.
[aa]Haec mihi hóspitalis téssera cum illó fuit.
[b]O mí | ere, salve, | Hánno, insperatíssume, — Poen. 1127
[aa]Mihí tuisque fíliis, salve: átque eho,
[b]Mirári noli néque me contemplárier.
[a]Cognóscin Giddenínem, | ancillám tuam?
[a]Matrem híc salutat suám, | haec autem hunc fílium. — Poen. 1144
[b]Mi pátrue salve: nám nunc es plané meus. — Poen. 1158
[aa]Phoenícium Calidóro amatorí suo — Pseud. 41
[a]Per céram et linum lítterasque intérpretes
[a]Salútem inpertit ét salutem ex te éxpetit
[c]Lacrumáns titubanti | ánimo corde et péctore.
Pseud. 1065 (p. 43).
[a]Salvéte Athenae, quaé nutrices Graéciae: — Stich. 649
[cc]Terrá | erilis pátria, te videó lubens.[1]) — (p. 79)
[a] nám Sticho mandáveram — Stich. 652
[a]Salútem ut nuntiáret atque ei ut díceret
[b]Me hodié venturum, ut cénam coqueret témperi.
Praecipue respiciendi sunt hi versus:
[c]Erílis patria, sálve, quam ego biénnio — Bacch. 170 (p. 77)
[c]Postquam hínc in Ephesum | ábii conspició lubens.
[a]Salúto te, vicíne Apollo, qui aédibus
[a]Propínquos nostris áccolis.

Hoc loco Chrysalus, qui Epheso domum redit, primum salutat patriam erilem, atque id versibus minime expolitis. Tum autem se convertit ad Apollinem deum, ad quem gravissimos versus dirigit. Itaque perspicuum est deo altiore sono salutem impertiri quam patriae.

Quid multa dicam? Nam omnia exempla, quae attuli, idem fere docent. Atque res ipsa postulat, ut versus, qui pronuntiantur salutandi causa, planissime expoliantur.

5. De versibus, quos pronuntiat, qui exit e scaena.

Considerantes structuram versuum senariorum iambicorum invenimus, ut supra dixi, sextum, i. e. ultimum pedem semper purum esse, praecipue solutionem pati non posse. Quem sextum pedem qui audiunt vel legunt, eis semper metrum iambicum in memoriam revocatur. Non aliter autem quam finis metri finis scaenae se habet. Dico ultimos versus personae exeuntis. Quae si totum versum pro-

[1]) cf. Birt l. l. p. 327.

nuntiat, hic plerumque quam diligentissimae structurae est, ut maxime eluceat, quo metro scaena conformata sit.[1])

Sed veniamus ad versus ipsos. Longe plurimis locis is, qui exit, praedicit, quo consilio exeat, qua de causa hos primum colligam. Ceterum teneas nihil interesse, utrum relinquat aliquis scaenam, an tantum de medio recedat, ut alias personas observet. Structura enim, ut videmus ex vv. Bacch. 766 sqq., Most. 687 sqq., Pseud. 414, eadem est. Lysimachus memorat consilium abeundi his verbis:

[aa]Ibo ád forum atque haec Démiphoni | éloquar, — Merc. 797
[a]Me istánc capillo prótracturum esse ín viam,
[a]Nisi hínc abducit quó volt ex hisce aédibus

atque hunc versum dicens excedit:

[a]Eadém licebit móx cenare réctius. — Merc. 802 (p. 69).

Cf. porro:

[b]. . . Iovem ét Mercurium fácere | histrióniam. — Amph. 152
[b]Ibo íntro, ornatum cápiam qui potís decet: — Amph. 1007
[a]Dein súsum escendam in téctum, ut illum hinc próhibeam.
[b]. . . Sed quíd ego cesso ire ád forum quo incéperam? — Asin. 125
[c]◡ — atque ibi manébo apud argentárium.
[a]Nunc íbo ut visam | , éstne ita aurum ut cóndidi,[2]) — Aul. 65
[c]Quod mé sollicitat plúrumis miserúm modis.
[b]Si autém deorsum cómedent, siquid cóxerint, — Aul. 367
[b]Superi íncenati súnt et cenati ínferi. — (de 368 p. 44)
[c]Sed vérba hic facio, quási negoti níl siet,
[c]Rapácidarum ubi tántum sit in aédibus.

Aul. 586 (p. 45).

[bb]. . . Crebró salicto opplétus: ibi sumám locum. — Aul. 675
[b]Certúmst, Silvano pótius credam quám Fide.
[bb]Certúmst malam rem pótius quaeram cúm lucro. — Aul. 681
[b]Si míhi dat operam, me ílli irasci iniúriumst. — Aul. 699
[cc]Ibo íntro ubi de cápite meo sunt cómitia.
[cc]Nunc íbo: erili fílio hanc fabricám dabo. — Bacch. 366
[b]Super aúro amicaque éius inventa Bácchide.
[b]. . . Nam illi aéquomst me consúlere, qui causá mea — Bacch. 524
[b]Mendácium ei díxit. vos me séquimini.
[b]. . . Sed húc concedam: nám concrepuerúnt fores. — Bacch. 610
[cc]Mnesílochus eccum maéstus progreditúr foras.

Bacch. 766—769 (p. 40).

[a]. . . Quam audívit umquam Clínia ex Demétrio? — Bacch. 912

[1]) Loci, quibus discedit aliquis perpauca dicens, quae versum minime explent, neglegi possunt, quoniam nihil demonstratur.
[2]) cf. Birt l. l. p. 349.

[a]. . . Nunc hánc praedam omnem iam ád quaestorem déferam. Bacch. 1075
[a]. . . Ad frátrem quo ire díxeram mox íero. Capt. 194
[b]Attát, concedam huc: aúdio aperirí fores. Cas. 434
[bb]Mei bénevolentis átque ameici pródeunt.
[c]Hinc éx insidiis hísce ego insidiás dabo.
[aa]. . . Sitque eí paratum quód paratum nón erat. Cas. 514
[a]. . . Atque ád parentes rédducam Selénium. Cist. 630
[b]. . . Ibo íntro: argentum accípiam ab damnosó sene. Epid. 319
[c]. . . Ibo ét conveniam sérvom, si poteró, meum, Men. 557
[b]Ut haéc quae bona dant dí mihi | ex mé sciat.
[a]. . . Vosque ómnis quaeso, sí senex revénerit, Men. 880
[c]Ni me índicetis, quá platea hinc aufúgerim.
[aa]. . . Nunc ín tumultum ibo: íntus clamorem aúdio. Mil. gl. 1393

Most. 83 sq.[1]), 687—689 (de 687 sq. p. 46); Pers. 722 sq. (p. 41), 736 sq. (p. 64); Poen. 196 sq., 447 sq.[2]), 794 sq., 1152—1154; Pseud. 414, 573 b, 903 sq. (p. 69); Rud. 483 sq., 904 sq., 1263 sq.; Stich. 451 ad 453 (de 453 p. 75), 503 sq. (de 503 p. 46); Trin. 600 sq.

Breviter adiungam versus, quibus quis scaenam se relicturum esse dicit, sed aliquo modo retinetur. Sunt hi:

[a]Ego ád forum autem hinc íbo, ut solvam míliti. Bacch. 1060
[b]Ego íbo ad fratrem ad álios captivós meos: Capt. 126
[a]Visám ne nocte hac quíppiam turbáverint.
[aa]Nam ego ád Menaechmum | hunc eo, quo iám diu Men. 96
[aa]Sum iúdicatus: últro eo, ut me vínciat.
[c]Nunc ádeo ibo illuc. séd optume gnatúm meum Merc. 329
v. 330 corruptus est
[a]Huic pérsuadere quó modo potís siem,
[a]Ut íllam vendat néve det matrí suae.

Most. 66 sq. (p. 46).

[b]Nunc húc intro ibo: vísam hesternas réliquias, Pers. 77
[c]Quieríntne recte nécne: num afuerít febris:[3])
[b]Opértaen fuerint: néquis obreptáverit.
[a]Revórtor rursus dénuo Cartháginem. Poen. 79

---

[1]) de 84 cf. Birt l. l. p. 320.
[2]) de 447 cf. Birt l. l. p. 347.
[3]) Hoc loco Esch: „De Plauti correptione . . .“ p. 112 legit cum Müllero: Quiérint recte nécne . . .
Sed qua de causa *quierintne* reiciat, quod per synizesin pronuntiandum est, ut ipse agnovit (p. 50), nescio. Mea quidem sententia causam non habet. Ipse dicit verborum, quae habent hanc formam ⏑ — — ⏑, syllabam alteram corripi posse, etiamsi declinationis formae sint (p. 106). Ego vero non intellego, cur hac in re differentia statuenda sit inter declinationis et coniugationis formas. Hoc est cur retineam *quierintne*, quod codices praebent.

[c]Iam hercle égo per hortum ad amícam transibó meam Stich. 437 (de 437—439 p. 65)
[aa]Mi hanc óccupatum nóctem: eadem sýmbolam
[a]Dabo ét iubebo ad Ságarinum cenám coqui.
[b]Aut égomet ibo atque ópsonabo opsónium.

Qui versus eadem diligentia conformati sunt atque quos loquitur, qui revera discedit.

Sequuntur loci, ubi item significatur aliquem scaenam relicturum esse, etiamsi hoc alio modo fit neque ipse id dicit.

[b]. . . Fac sís, proinde adeo ut vélle med intéllegis, Amph. 982
[bb]Atque út ministres míhi, mihi quom sácruficem.
[c]. . . Verúm lubet etiam mi hás perlegere dénuo: Bacch. 923
[a]Aequómst tabellis cónsignatis crédere.
[bb]. . . Misérrumum hodie ego húnc habebo amásium. Cas. 590

Cist. 624 sq. (p. 29 et 64).

[a]Haec vássa aut mox aut crás iubebo abs té peti. Merc. 781
[b]Sequiminei.
[a]Quaesó tamen, tu meám partem, infortúnium Mil. gl. 865
[c]Si dívidetur, me ábsente accipitó tamen. (p. 68)
[aa]Moléstus ne sis: núnciam i, rus te ámove. Most. 74
[c]Ne tu hércle praeterhác mihi non faciés moram.

Rud. 1256 sq. (p. 29); Stich. 435 (p. 72).

[b]Datin sóleas atque me íntro actutum dúcite: Truc. 631
[c]Nam míhi de vento mísere condoluít caput.

Hos versus qui loquitur, salutem eis dicit, qui relinquuntur: Capt. 67 sq. (p. 45).

[bb]Vale átque salve, etsi áliter ut dicám meres. Capt. 744
[c]Tu Arístophontes, dé me ut meruisti, íta vale:
[a]Nam míhi propter te hoc óptigit.

et

[a]Vis haéc quidem herclest, ét trahi et trudí simul. Capt. 750 (p. 64)
[c]Tantúmst. valete, béne rem gerite et víncite Cas. 87
[a]Virtúte vera, quód fecistis ántidhac.
[b]Haec síc res gestast. béne valete, et víncite Cist. 197
[a]Virtúte vera, quód fecistis ántidhac. (de 201 sq. p. 46)
[c]Serváte vostros sócios, veteres ét novos,
[b]Augéte auxilia vóstris iustis légibus,
[c]Perdíte perduelles, párite laudem et laúream:
[a]Ut vóbis victi Poéni poenas súfferant.
[a]Valéte atque adiuváte ut vos servét Salus. Poen. 128
[aa]Multúm valete. múlta verba fécimus: Poen. 1368
[a]Malúm postremo omne ád lenonem réccidit. (de 1371 p. 46)
[a]Nunc quód postremumst cóndimentum fábulae,

[b] Si plácuit, plausum póstulat comoédia.
[a] Valéte, ut hostes vóstri diffidánt sibi. Rud. 82
[c] Utinam ís sit quem | ego quaéro, vir sacérrumus. Rud. 158
[a] Valéte.
[bb] Cras dé reliquiis nós volo. multúm vale. Stich. 496
[aa] Tantúmst. valete: adéste cum siléntio. Trin. 22
Truc. v. 433 corruptus est.

Quid vero, si ex ultimis verbis vel ex ultimo verbo versus ultimi cognoscitur histrionem scaenam relicturum esse? Suntne versus, qui antecedunt, ipsi quoque maiore diligentia conformati? Non alios scilicet tractabo, nisi qui longiorem orationem concludunt, atque omnino ea ultima verba neglegam, quae ne versum quidem explent. Inspiciamus autem exempla.

Amph. 1141—1143 (p. 72); Aul. 394—397 (p. 28).
[a]... Attát: eccum ipsum: | íbo, ut hoc condám domum. Aul. 712 (p. 68)
[aa]... Haec síc res gestast. síquid usus vénerit, Cist. 147
[cc] Meminísse ego hanc rem vós volo. ego abeó domum.
[a] Bonum aéquomque oras. í, percontare ét roga: Most. 682
[c] Ego híc tantisper, dum éxis, te opperiár foris.
[b]... Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum: Trin. 1004 (de 1004 sq. p. 46 et 63)
[b] Nisi qui íllud tractat aút movet, mutúmst, tacet.
[c] Sed quís hic est qui huc in pláteam cursuram incipit?
[c] Lubet óbservare quíd agat: huc concéssero.
[b]... Ego fáxo dicat me in diebus paúculis Truc. 643
[bb] Crudúm virum esse. séquere me hac: verbúm sat est.

Apparet, etiamsi ultimus versus ipse, in quo, qui loquitur, abiturus esse dicitur, saepius dissolutus est, tamen versus, qui antecedunt, maiore arte esse compositos atque hoc modo finem scaenae praeparari.

Usque adhuc semper de locis egi, quos qui pronuntiat, aliquo modo dicit se scaenam relicturum esse. Sequuntur ei, ubi nihil praenuntiatum est. Quod sane rarissime fit. Exempla autem perpauca considerantes minore diligentia ea conformata esse a poeta videmus, ut:
[c] Atque mé minoris fácio prae illo qui ómnium Epid. 522
[a] Legum átque iurum fíctor, condictór cluet.
[c] Is étiam sese sápere memorat: málleum
[c] Sapiéntiorem vídi excusso mánubrio.

Merc. 826 sqq. (p. 55 sq. et 62).
[a] Pauci sint faxim quí sciant quod nésciunt, Trin. 221
[c] Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam. (p. 52)
[aa]... Iubébo ad istam quínque perferrí minas, Truc. 444
[b] Praetérea | obsonári dumtaxát mina.

[c] Multo illi potius béne erit quae bene vólt mihi
[cc] Quam míhimet omnia qui mihi fació mala.

Restant loci, quibus binae vel plures personae simul abeunt. Ex quibus elucere puto rem non multo aliter se habere. Plerumque enim utriusque personae versus ultimi exactioris formae sunt.
[b]... Placént profecto léges: sequere intró. || Sequor. Asin. 809
[b]... Haud póstulo. || Duc ístos intro. || Séquimini. Aul. 362
[cc]... Sequere hác: reducam te úbi fuisti. néminis Capt. 764
[c] Miserére certumst, quía mei miseret néminem.
[a] || Exaúspicavi ex vínclis: nunc intéllego
[aa] Redaúspicandum esse ín catenas dénuo.
[a]... Abeo intro: taedet tuí sermonis. || Té sequor. Cas. 142 (de 143 p. 64)
[c] Hicquidém pol certo níl ages sine med árbitro.

Cas. 854 (p. 47).
[aa]... Abeámus intro. séd quid est nomén tuae Cist. 772
[c] Dominaé? || Melaenis. || 'I prae: iam | ego té sequar.
[b]... Ibo átque orabo. || Quaé res male vortát tibi. Curc. 273
[a]... Quid quód iuratus súm? || Quid id refért tua, Curc. 459 (de 459 sq. p. 42)
[b] Dum argéntum accipias? || Quí monet quasi ádiuvat.
[c] Sequímini. || Leno, cáve | in te sit móra mihi.
[b]... Ne illam híc offendat. || Rés paratast: séquere me. Merc. 587

Merc. 690 sq. (p. 50 et 62).
[bb]... Age eámus ergo. || Séquimini, satéllitis. Mil. gl. 78

Cf. porro: Pers. 399, 448 (p. 65); Poen. 501—503, 720, 802—808 (de 802—804 p. 50, de 807 p. 68); Pseud. 559—561, 1015 sq., 1049 ad 1051; Rud. 183; Stich. 668—673; Trin. 819, 1109; Truc. 696 ad 698.

Sed haec satis superque. Intellegitur certe poetam versus, quos quis ultimos in scaena dicit, magna elegantia composuisse, ut histrio graviore sono aut exactiore mensura metrica eos recitaret, antequam exiret.

Caput V.

De versibus, in quibus verba ipsa diligentissime eliguntur.

1. De epistulis.

Multum differt, utrum orationem aliquis ex tempore habeat an quam antea secum cogitaverit vel potius scripserit. Nam in hac conficienda maxime interest et verba eligere et componere accuratius. Id dicendum est cum de omnibus, quae scribuntur, tum de epistulis,

etiam poeticis. Atque haec verborum compositio structura scilicet versuum significatur. Ergo fabulas ipsas perquiramus.

Postquam Chrysalus servus Nicobulum senem bis ludificavit atque aurum accepit, Mnesilochus iterum epistulam ad patrem mittit Chrysalo auctore atque obsecrat, ut illi ducentos nummos Philippos det. His Bacch. vv. 997—998, 1007—1009, 1013—1016, 1019 ad 1022, 1025—1026, 1028—1035, qui omnes numero 23 sunt, i. e. 11 indd., 7 ll., 5 diss., epistula continetur.

Epistula, quae in Curc. vv. 429—436 (de 436 p. 44) scripta est, ex versibus summa diligentia conformatis constat.

Toxilus Dordalum ludificat hac epistula, quam continent Pers. vv. 501—512 et 520—527 et quam a Timarchide domino una cum muliere se accepisse dicit. Ex quibus 7 vv. indd., 7 ll., 6 diss. sunt, qui in extrema parte epistulae exstant.

Pseud. vv. 41—44, 51—59, 64—73, qui sunt omnes 24 numero, Phoenicium amato suo scribit se emptam esse a milite Macedonico. Ex quibus sunt 9 indd., 6 ll., 8. diss., unus corruptus est.

Pseud. vv. 998—1001, 1009, 1011—1014 omnes summa cura elaborati sunt.

Truc. vv. 397—400 commemoratur in oratione obliqua, quid contineat epistula. 2 vv. sunt indd., 2 diss.

Ad extremum moneo primos versus epistularum, quippe qui contineant salutem, summa diligentia expolitos esse solere. De quibus iam supra egi (p. 84 sqq.). Sed etiam reliquos versus elegantissime a poeta excultos esse elucet.

2. De syngrapho.

Eandem curam in componendis et verbis et versibus praebent Asin. vv. 751—754, 756—786, 792—807, qui continent syngraphum, quod fecit parasitus Diabolo et quod hoc loco recitatur. Hiatu nonnulli versus laborant. Itaque a multis corrupti existimati sunt. Sed sententiarum ratio bona est. Reputandum est nobis hos versus non continere colloquii enuntiata, sed scriptum, quod recitatur. Qui loquitur igitur id, quod dicturus est, oculis suis colligit et tarde legit, quod scriptum habet.[1]) Qua ex pronuntiatione lentiore hiatus facile intellegi possunt, ne premam hiatum a natura sermonis Romanorum omnino alienum non fuisse. Itaque corruptelas neque hic statuo neque alibi, ubi vocalium concursus apud Plautum invenitur. Itaque bene est, quod codices omnes idem fere praebent. Quos si sequimur, 17 vv. indd. sunt, 16 ll., 18 diss. Diligentissime elaborati sunt vv. 792—807, i. e. ultimi. Porro initialis v. 751 ind. est. Itaque stucturam elegantiorem negare non possumus.

[1]) cf. Birt l. l. p. 335.

3. De somniis.

Maiore cura sermo concipitur etiam ab eo, qui narrat somnium vel interpretationem eius, etiamsi verba ipsa scripta non habet. Cura autem illa sermonis defertur etiam ad structuram versuum.

Curc. vv. 260—262 Cappadox narrat somnium, qui omnes indd. vel ll. sunt. Interpretatio, quae inest vv. 263—267 et 269—272, constat ex uno versu ind., ex 4 ll., ex 4 diss.

Merc. vv. 229—251 (de 245—247 p. 65) Demipho somnium narrat atque interpretari conatur. Ex versibus, quibus somnium ipsum inest 252—270 (de 266 et 269 p. 64), 10 indd., 7 ll., 6 diss. sunt, ex eis, qui interpretationem continent, 7 sunt indd., 7 ll., 5 diss.

Somnium Daemonis, quod continent Rud. vv. 593—612, comprehenditur 7 indd., 8 ll., 5. diss.

Hoc loco etiam Stich. vv. 460—464 adferendos esse puto, ubi Gelasimus parasitus auspicium narrat, quod simillimum est somnii. Ex quibus 3 indd. sunt, 1 est l., unus diss.

Caput VI.

De versibus, qui verbi alicuius vel sententiolae pondere excellunt.

1. De versibus, quibus animus aliquo modo ad id attenditur, quod sequitur.

Antequam parasitus Diabolo adulescenti consilium suum dicit, hoc modo animum eius ad id, quod sequitur, attendit:

[c] Ego síc faciundum cénseo   Asin. 820

atque tum pergit:

me honéstiust
[bb] Quam té palam hanc rem fácere, ne illa exístumet
[aa] Amóris causa pércitum id fecísse te
[b] Magis quám sua causa.

Sunt igitur versus, qui continent id, ad quod parasitus animum antea adverterat, magna diligentia expoliti. Eodem modo Tyndarus orationi suae audientiam facit:

[b] At ego áio recte, qui ábs te sorsum séntio   Capt. 710

et tum dicit:

[aa] Nam cógitato, sí quis hoc gnató tuo   Capt. 711
[aa] Tuos sérvos faxit, quálem haberes grátiam?
[aa] Emítteresne nécne eum servóm manu?
[aa] Essétne apud te is sérvos acceptíssumus?
[a] Respónde.

Neque aliter res se habet his locis:

[b]Hoc míhi responde prímum, quod ego té rogo: Most. 748
[a]Iam de ístis rebus vóster quid sensít senex?
[c] Redde operám mihi. Asin. 44
[c]Cur hóc ego ex te quaéram aut cur minitér tibi,
[bb]Proptérea quod me nón scientem féceris?
[a]Aut cúr postremo fílio suscénseam,
[b]Patrés ut faciunt céteri?
[c]Cupis íd quod cupere té nequiquam intéllego: Asin. 84
[a]Dotálem servom Saúream | uxór tua[1])
[a]Addúxit, quoi plus ín manu sit quám tibi.

Bacch. 137 sq. (p. 41).

[b]Quid hóc qua causa ego éum | in Ephesum míseram?[2]) Bacch. 249
[a]Accépitne aurum ab hóspite Archidémide?
[a]Quin tu aúdi: Bacch. 276
[b]Postquam aúrum abstulimus, ín navem conscéndimus
[c]Domí cupientes.

Capt. 110 sqq. (p. 70 et 77).

[b] At ego sic agam: Cas. 341 (de 342 p. 45)
[b]Coníciam sortis ín sitellam et sórtiar
[b]Tibi ét Chalíno. | ita rem natam intéllego:
[b]Necéssumst vorsis gládiis depugnárier.
[bb]Ne oblóquere rursus. pérge porro dícere: Cist. 754
[a]Quot ánnos nata dícitur? || Septémdecim.
[a]Tace: óccultemus lúmen et vocém. || Licet. Curc. 95
[b]Aufér istaec quaeso atque hóc responde quód rogo: Curc. 245 (p. 68)
[c]Potin cóniecturam fácere, si narrém tibi
[bb]Hac nócte quod ego sómniavi dórmiens?
[b]Hoc ánimum advorte: pácem ab Aesculápio Curc. 270 (p. 93)
[a]Petás, ne forte tibi éveniat magnúm malum,
[b]Quod ín quiete tíbi portentumst.
[a] Aúdies: Epid. 499
[bb]Condúcta veni ut fídibus cantarém seni,
[b]Dum rém divinam fáceret.
[a] 'Id quod audivi aúdies: Epid. 507
[aa]Stratíppoclem aiunt, Périphanai fílium,
[b]Abséntem curavísse ut fieret líbera.

Cf. porro: Pers. 116—118 (p. 68); Poen. 711 sq., 713—715; Pseud.

[1]) cf. Birt l. l. p. 339.
[2] cf. Birt l. l. p. 355.

481 sqq., 497—499; Rud. 124—126; Trin. 173 sqq., 480—484 (de 483 p. 65), 497—499; Truc. 687 sq.; Faeneratrix fr. I (p. 41 et 69).

Sed etiam hi versus respiciendi sunt:

[a]Habétin aurum? | íd mihi dicí volo. Bacch. 269
[a]Num láruatus aút cerritust? fác sciam. Men. 890
[aa]Num eúm veternus aút aqua intercús tenet?
[a]Quid aútem urbani déliquerunt? díc mihi. Merc. 718

Quibus locis non antea animi intenti sunt in explicationem aut narrationem, sed postea. Apparet autem omnes versus esse indissolutos, qua ex re cognoscimus nihil differre, utrum praemittantur an sequantur verba.

Pertinent ad hanc paragraphum etiam versus, quos qui loquitur, nuntiat, quid in oratione sequente dicturus sit. Quorum permulti in prologis inveniuntur, quoniam, qui pronuntiat argumentum, semper paucis verbis animum spectatorum ad illud convertit, quod sequitur.

[b]Nunc quíd processerim húc et quid mihi vóluerim Asin. 6
[a]Dicam: út sciretis nómen huius fábulae . . .

Asin. 9 sqq. (p. 83); Asin. 88 sqq. (de 89 sqq. p. 71); Aul. 1 sqq. (p. 82 et de 1 p. 77).

[a]Nunc árgumentum vóbis demensúm dabo, Men. 14
[c]Non módio neque trimódio, verum ipso hórreo:
[b]Tantum ád narrandum argúmentum adest benígnitas.
[a]Et árgumentum et meós amores éloquar . . . Merc. 2
[c]Sed eam út sim inplicitus dícam, si operaest aúribus Merc. 14
[b]Atque ádvortendum ad ánimum adest benígnitas.
[a] Fortasse te íllum mirarí coquom, Merc. 782
[a]Quod vénit atque haec áttulit. dicam íd quid est.
[a]Ad árgumentum núnc vicissatím volo Poen. 46
[b]Remigráre, ut aeque mécum sitis gnárures.
[c]Eius núnc regiones, límites, confínia
[b]Detérminabo: ei rei égo finitor fáctus sum.
[a]Nunc, húc qua causa véni, argumentum éloquar. Rud. 31
[a]Dicam aúctionis caúsam, ut damno gaúdeant — Stich. 207
[b]Nam cúriosus némost quin sit málevolus —:
[b]Damna évenerunt máxuma miseró mihi.
[c]Ita mé mancupia míserum adfecerúnt male:
[aa]Potátiones plurumae demórtuae:
[b]Quot ádeo cenae quás deflevi mórtuae,
[a]Quot pótiones múlsi, quae autem prándia,
[b]Quae intér continuom pérdidi triénnium.

Porro hi versus memorabiles sunt, qui praedicunt, quid quis facturus sit:

[b]Tuo ego ístaec igitur dícam illi perículo. Bacch. 599

[b] Nunc nísi ducenti Philippi redduntúr mihi, Bacch. 868
[b] Iam illórum ego animam ambórum exsorbebo óppido.
[a] Binós ducentos Phílippos iam intus écferam: Bacch. 1050
[a] Et míliti quos dúdum promisí miser
[a] Et ístos.
[b] Id utrúmque, argentum quándo habebo, cávero, Men. 270
[a] Ne tú delinquas néve ego irascár tibi.
[b] Adíbo ad hóminem: nám turbare géstio. Men. 486
[a] Nam ego hánc acerso Phílocomasium. séd foris Mil. gl. 1296
[a] Pultábo.
[a] vérum ut ut res sése habet, Most. 545
[a] Pergám turbare pórro: ita haec res póstulat.
[bb] Itaque híc scelestus ést homo lenó Lycus: Poen. 200
[a] Quoi iam ínfortuni inténta ballistást probe,
[a] Quam ego haúd multo post míttam e ballistário.
[a] ego intus ínterim Poen. 424
[a] Iam et órnamentis meís et sycophántiis
[a] Tuom éxornabo vílicum.
[a] Illínc procul nos ístuc inspectábimus. Poen. 682
[b] Hoc pércontabor qui hinc egrediuntúr foras. Poen. 960
[a] Adíbo ad hosce atque áppellabo Púnice. Poen. 982
[a] Si réspondebunt, Púnice pergám loqui:
[a] Si nón, tum ad horum móres linguam vórtero.
[a] Nam meaé prosum non súnt. tum | autem aurúm tuom [1]) Poen. 1393
[b] Reddám quod apud mest ét ius iurandúm dabo
[b] Me málitiose níl fecisse, Agorástocles.

Cf. porro: Rud. 1202; Stich. 437—440 (p. 65 et 89); 646 sq. (p. 65); Truc. 443—445 (de 444 sq. p. 90).

Haec hactenus. Nemo autem erit qui neget haec exempla satisfacere ad demonstrandam diligentiam, quam Plautus adhibebat in componendis versibus. Huc pertinent etiam illi permulti loci, ubi praenuntiat, qui loquitur, se scaenam relicturum esse. Quos iam supra tractavi (p. 87 sqq.), ut eos hoc loco omittere possim. Si vero non alios versus nisi indissolutos vel leves contuli, neminem fore spero qui concludat omnes loci, quibus aliquid praenuntiatur, eadem summa arte exculti sint necesse esse. Nam perspicuum est inveniri versus, qui habeant complures solutiones. Sed longe plurimorum res metrica plane expolita est.

At ne quis dicat poetam nullo alio tempore nisi futuro res praenuntiare vel potius eos versus, qui alio modo consilium aperiunt,

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 311.

minore diligentia composuisse, nunc nonnulla exempla afferam, quae id refellant.

[a] Ego hinc artoptam ex próxumo utendám peto Aul. 400
[a] A Cóngrione.
[a] Hoc íllum me mutáre confidó pote. Capt. 171 (p. 46 et 68)
[aa] Quid, si évocemus húc foras Agorástoclem, Poen. 707
[aa] Ut ípsus testis sít sibi certíssumus?
[a] Quid, sí recenti re aédis pultem? Poen. 728
[a] Si púltem, non reclúdet?
[aa] Sed cónprimunda vóx mihi atque orátiost: Pseud. 409
[aa] Et iús et aequom póstulas: sumás, Stiche. Stich. 423
[a] In húnc diem te níl moror. (de 423 p. 46)

2. De versibus, quibus haec vel illa sententia iteratur.

Euclio senex Staphylam anum foras exire iubet et verberat extruditque. Atque quod senex non respondet ei quaerenti in Aul. v. 42, repetit illam interrogationem:

[a] Nam quá me nunc causa éxtrusisti ex aédibus? Aul. 44 (p. 58)

qui versus indissolutus est. Ut pisces caros esse nemo sit qui nesciat, Euclio senex iterat hoc verbum saepius in Aul. vv. 373 sq. (p. 44). Saepissime illam scaenam attuli, in qua Chrysalus Nicobulum de auro ludificat, quo liberat Bacchidem, amatam Mnesilochi. Ubi versus, quibus senex per servum Cleomacho argentum promittit, laxioris artis sunt, sed quibus miles repetit ducentos nummos esse, diligentiores:

[b] Vis tíbi ducentos númmos iam promíttier, Bacch. 873
[b] Ut né clamorem hic fácias neu convícium?
[c] || Nihil ést quod malim. || Atque út tibi mala multa íngeram?
[a] || Tuo árbitratu. || Ut súbblanditur cárnufex.
[c] || Pater hic Mnesilochist: séquere, is promíttét tibi.
[aa] Tu aurúm rogato: céterum verbúm sat est.
v. 879 corruptus est || Váh, Salus
[b] Mea, sérvavisti mé. quam mox dicó „dabo"?
[a] || Roga húnc tu, tu promítte huic. || Promittó: roga.
[a] || Ducéntos nummos aúreos Philippós probos
[aa] Dabín? || „Dabuntur" ínque: respondé. || Dabo.

Tyndarus, quem Hegio vinciri iusserat, stupefactus est Capt. v. 660 (p. 42). Sed quod responsum non fert, iterat illud:

[a] Tuos súm: tu | has quidém vel praecidí iube. Capt. 668
[a] Sed quíd negotist? quam ób rem suscensés mihi?

Melaenis lena ex Lampadione servo quaerit:

[c] Quis ístic habitat? Cist. 599

qui respondet:

Démipho dominús meus.

Sed ut erat curiosus, accuratius interrogat:

[aa] Nempe ístic est, qui Alcésimarcho fíliam Cist. 600
[b] Suám despondit in divitias máxumas?

Postquam Therapontigonus miles Planesium sororem esse cognovit, Curculio ab eo petit, ut Phaedromo illam uxorem det. Sed cum miles non audiverit, parasitus interrogat:

[a] Quid céssas, miles, hánc huic uxorém dare? Curc. 672

Sufficiunt haec exempla. Fere omnes versus, qui quid repetunt, quod alter non recte perceperat, gravissimo sono recitantur, ne iterum verba neglegantur. Qua de causa summa diligentia compositi sunt. Praeterea hi versus respiciendi sunt: Men. 238 sqq. (p. 50); Merc. 716—718 (de 718 p. 95); Mil. gl. 533 sq.; Most. 453—456, 559—560; Pseud. 1076—1079; Rud. 131 sq. (p. 65) et 137; Stich. 473 et 479 et 483 sqq.; Trin. 566—568; 798—805 (de 798 sq. p. 46 et 74, de 800 sq. p. 39, de 801 p. 46 et 64).

Neglegenda non est illa scaena Merc. fabulae, in qua ex marito suo quaerit uxor, quae sit puella, quam domi viderit (vv. 719 sqq.), neque Epid. fabulae, in qua Periphanes senex et miles inter se contendunt, quae vera fidicina sit (vv. 475 sqq.); ubi quod plerumque idem dicitur ab utroque, versus diligentiores sunt.

Addo non solum versum, quo iteratur, sed etiam eum, qui primum illam sententiam praebet, plerumque maiore cura elaboratum esse, nempe verbis, quae quis repetere operae pretium esse putat, iam antea curam impensam esse per se intellegitur.

3. De versibus, quibus contrarium inest.

Lydus servus dicit, ut iam supra vidimus (p. 41 et 94)

[a] Non paédagogum iám me, sed Lydúm vocat. Bacch. 138

Qui aegre fert, quod Pistoclerus eum non iam „paedagogum", sed „Lydum" vocat, i. e. quod apellatione non utitur, quam ei debet, sed nomine, id quod familiaritatis cuiusdam est. Vis igitur in contrario posita est verborum „paedagogum" et „Lydum". Neque aliter res se habet hoc loco:

[c] Animást amica amánti: si | abest, núllus est: Bacch. 193
[a] Si adést, res nullast, ípsus est, nequam ét miser,

quoniam inter se pugnant „si abest" et „si adest". Praeterea cf.:

[b] Lippi ílli | oculi sérvos est simíllumus: Bacch. 913
[b] Si nón est, nolis ésse neque desíderes:
[a] Si est, ábstinere quin attingas nón queas.

[aa] Illum ésse servom crédidi, te líberum. Capt. 675
[a] Orat óbsecrat, Cas. 321
[a] Ne Cásinam uxorem dúcam. || Quid tu póstea?
[a] || Negávi enim ipsi mé concessurúm Iovi,
[a] Si is mécum oraret.
[a] Non éx uxore nátam, uxoris fíliam. Cist. 604

Curc. 436 (p. 44 et 92).

[a] Haec ínquamst. || Non haec ínquamst: non novísse me Epid. 480
[a] Meam rére amicam pósse?

Merc. 823—825 (p. 55).

[aa] Decét me amare et té bubulcitárier, Most. 53
[cc] Me víctitare púlcre, te miserís modis.
[b] Nolo ín vesicam quód eat, in ventrém volo. Pers. 98
[bb] Virgo átque mulier núlla erit quin sít mala Pers. 365
[b] Quae praéter sapiet quám placet paréntibus.
[bb] || Virgo átque mulier núlla erit quin sít mala
[c] Quae réticet, siquid fíeri pervorsé videt.
[a] Futúra's dicto oboédiens an nón patri? Pers. 378

Pers. 403 (p. 33).

[a] Nam nón emisti hanc, vérum fecistí lucri. Pers. 713
Dífferor Poen. 156
[a] Cupídine eius: séd lenone istóc Lyco,
[c] Illíus domino, nón lutumst lutuléntius.

Poen. 982—984 (p. 96).

[aa] Ampsígura mater míhi fuit, Iahón pater. Poen. 1065
[a] Mei té rogandi et tís respondendí mihi. Pseud. 6
[aa] Sub Véneris regno vápulo, non súb Iovis. Pseud. 15
[aa] Nemo íllum quaerit qui óptum(us)[1] et carissumust: Pseud. 805
[b] Illúm conducunt pótius qui vilíssumust.
[a] Si crédis, nummo: sí non, ne miná quidem. Pseud. 877
[a] Si tú de illarum cénaturus vésperi's, Rud. 181
[a] Illís curandum cénseo, Scepárnio:
[c] Si apúd me essuru's, míhi dari | operám volo.
[a] Utrúm tu leno cúm malo lubéntius Rud. 780
[b] Quiéscis an sic síne malo, si cópiast?
[a] Ut témpestas est núnc atque ut noctú fuit. Rud. 901
[b] Ego quóque volo esse líber: nequiquám volo. Trin. 440
[aa] Hic póstulet frugi ésse: nugas póstulet.

Quae exempla sufficere mihi videntur, quippe quae omnia summa cura conformata sint. Neque dubium est, quin contraria gravissimo sono recitentur, ut ad verba illa animi audientium maxime convertantur.

---

[1]) De elisa syllaba *us* cf. Birt ed. Catalepton p. 43.

4. De versibus, qui ad spectatores directi sunt.

Contrarium quiddam etiam versibus inest, qui ad spectatores directi sunt. Qui eis oppositi sunt, quibus quis sive omnes, qui audiunt, sive histriones solos alloquitur. Qua de causa omnes et qui in scaena et qui in cavea versantur, maxime animos ad illa verba attendunt. Exempla consideremus.

[a] Sed, spéctatores, vós nunc ne mirémini — Bacch. 1072
[a] Quod nón triumpho: pérvolgatumst, níhil moror:
[c] Verúm tamen accipiéntur mulso mílites.
[a] Solét iocari saépe mecum illóc modo. — Men. 317

Men. 880 sq., (p. 88).

[aa] Vosmét videte céterum quantí siem. — Merc. 267
[aa] Ne díxeritis óbsecro huic vostrám fidem. — Mil. gl. 862 (p. 67)

Mil. gl. v. 1130 corruptus est, sed:

[a] Dixi ésse vobis dúdum hunc moechum mílitem? — Mil. gl. 1131

Poen. 1368—1371 (p. 89 sq. et de 1371 p. 46).

[b] Nunc, néquis dictum síbi neget, dico ómnibus, — Pseud. 125
[a] Pubé praesenti in cóntione, omní poplo,
[b] Omníbus amicis nótisque edicó meis,
[b] In húnc diem a me ut cáveant, ne credánt mihi.
[a] Suspíciost mihi núnc vos suspicárier, — Pseud. 562
[b] Me idcírco haec tanta fácinora promíttere,
[a] Quo vós oblectem, hanc fábulam dum tránsigam,
[b] Neque sím facturus quód facturum díxeram.
[b] Tibícen vos intéribi hic delectáverit. — Pseud. 573 b (p. 88)

Stich. 446—448 (p. 56).

Haec sunt exempla, quae in fabulis ipsis inveni. Omnia diligentissime elaborata sunt. Porro ad spectatores prologi directi sunt. Sed opus non esse mihi videtur totos prologos afferre, quippe qui apud Plautum argumentum fabulae contineant. Sed dum narratur, omnes, et qui loquitur et qui audiunt, plus minus obliviscuntur verba ad spectatores directa esse. Itaque eos solum versus exscribam, quibus histrio spectatores ipsos alloquitur.

Ex Amph. vv. 1—96 (de 1 sq. p. 76, de 1 p. 45, de 19 p. 82, de 33—37 p. 47), qui omnes ad spectatores ipsos directi sunt, quoniam hi saepissime vocantur, sunt 33 indd., 30 ll., 31 diss., 2 corrupti.[1])

[c] Nam ego vós novisse crédo iam ut sit méus pater, — Amph. 104
[a] Quam líber harum rérum multarúm siet
[c] Quantúsque amator sít quod complacitúmst semel.

---

[1]) de 69 cf. Birt l. l. p. 67.

[a] Nunc ne húnc ornatum vós meum admirémini, — Amph. 116
[b] Quod ego húc processi síc cum servilí schema:
[b] Veterem átque antiquam rém novam ad vos próferam.
[b] Nunc ínternosse ut nós possitis fácilius, — Amph. 142
[b] Ego hás habebo | úsque in petaso pínnulas:
[cc] Tum meó patri autem tórulus inerit aúreus
[b] Sub pétaso: | id signum 'Amphitruoni nón erit.
[c] Ea sígna nemo | hórum familiárium
[b] Vidére poterit, vérum vos vidébitis.
[c] Adéste: erit operae prétium | hic spectántibus — Amph. 151
[b] Iovem ét Mercurium fácere | histrióniam.
[a] Hos quós videtis stáre hic captivós duos, — Capt. 1 (de 1 p. 77)
[a] Illí qui astatis — hí stant ambo, nón sedent[1]):
[a] Hoc vós mihi testes éstis me verúm loqui.
[a] Negát hercle ille | últimus. accédito.[2]) — Capt. 11 (de 11 p. 65)
[c] Si nón ubi sedeas lócus est, est ubi ámbules,
[aa] Quando hístrionem cógis mendicárier.
[b] Ego mé tua causa, ne érres, non ruptúrus sum.
[b] Vos quí potestis ópe vostra censérier
[c] Accípite relicuom: álieno uti níl moror.

Ex Cas. vv. 1—30[3]) (de 1 sq. p. 77) sunt 10 numero versus indd., 13 ll., 7 diss. Cas. vv. 64—78 (de 67—70 p. 50) i. e. 15 numero versibus insunt 6 indd., 6 ll., 2 diss., v. 72 corruptus est. Cas. 87 sq. (p. 89).

[b] Id duaé nos salvae scímus: ego quae illí dedi — Cist. 145
[a] Et ílla quae a me accépit — praeter vós quidem.
[c] nunc operám date, — Cist. 154
[b] Ut ego árgumentum hoc vóbis plane pérputem.
[aa] Ut eámpse vos audístis confitérier . . . — Cist. 170
[b] Ego illós non vidi, néquis vostrum cénseat. — Men. 23
[a] Ne móx erretis, iám nunc praedicó prius: — Men. 47
[b] Idémst ambobus nómen geminis frátribus.
[cc] Nunc ín Epidamnum pédibus redeundúmst mihi,
[a] Ut hánc rem vobis éxamussim dísputem.
[a] Siquís quid vostrum Epidámni curarí sibi
[a] Velít, audacter ímperato et dícito:
[b] Sed ita út det, unde cúrari id possít sibi.

Merc. v. 8 dissolutus est.

[b] Nunc vós mihi irasci ob múltiloquium nón decet: — Merc. 37

---

[1]) cf. Birt l. l. p. 344 sq.
[2]) cf. Birt l. l. p. 318.
[3]) de 23 cf. Birt l. l. p. 356.

[a] Eodém quo amorem Vénus mi hoc legavít die.
[b] Vosmét videte, quám mihi valde plácuerit. Merc. 103

Cf. porro: Asin. 1 sq. (p. 76), 6 sq. (p. 95), 9—12 (p. 83 et 95); Aul. 1 (p. 77 et 95); Capt. 52 sq. (de 52 p. 44), 67 sq. (p. 45 et 89); Cas. 87 sq. (p. 89); Cist. 197—202 (p. 89 et de 201 sq. p. 46); Men. 1—9 (de 1 sq. p. 78 et 85, de 7—9 p. 51), 14—16 (p. 95); Mil. gl. 79—85 (de 79 p. 78), 96 ad 98, 150—153; Poen. 1—52 (de 1 p. 78, de 44 sq. p. 64, de 46—49 p. 95), 55—58, 62 sq., 80 sq., 91 sq., 116 sq., 123, 127 sq. (de 128 p. 89); Rud. 3—5 (p. 81), 28—30, 80—82 (de 80 sq. p. 83, de 82 p. 90); Trin. 4—7, 10 sq., 16 sq., 20—22 (de 22 p. 90); Truc. 1—8 (de 1 p. 79, de 2 p. 47, de 7 sq. p. 65).

Ex his exemplis videmus versus ad spectatores directos, qui in prologis sunt, non eadem diligentia compositos esse, qua qui in fabulis ipsis occurrunt. Neque id mirum est. Iam antea dixi revera totum prologum ad spectatores dici. Atque perspicuum est vehementius percuti animos, si sermone procedente subito nonnulla verba ad spectatores diriguntur, quam si oratio tota ad eos habetur. Sed neminem esse puto quin sentiat diligentia quadam poetam etiam his locis usum esse.

5. De versibus, quibus gradatio sententiae inest.

Agorastocles adulescens Milphionem servum verberat in Poen. fabulae „amans per amorem", ut ipse dicit. Sed Milphio:

Item ut tu mihi fecisti ob nullam noxiam

atque Agorastocles dicit:

[bb] Si tíbi lubidost aút voluptatí, sino: Poen. 145
[aa] Suspénde, vinci, vérbera: auctor súm, sino.

Hic versus maxime respiciendus est, qui summa diligentia conformatus est. Sed qua de causa? Agorastocles dicit ad servum: „Suspende, vinci, verbera". Supplicia igitur gradatim ascendunt. Aliud superat aliud. Videamus, num similia exempla inveniamus. Hoc loco dicit coquus:

[a] Vidére, amplecti, | aúscultari, | álloqui, Merc. 745

quae similis gradatio est; itaque hiatus cum cura conservandi sunt (vide supra p. 92). Praeterea cf.:

[bb] Hic áutem apud nos mágna turba ac fámiliast, Aul. 342
[a] Supéllex, aurum, véstis, vasa argéntea.
[a] Dicánt, coqui abstulérunt: comprehéndite, Aul. 346
[b] Vincíte, verberáte, in puteum cóndite.
[b] Ego, qui tuó maerore máceror, Capt. 133
[a] Macésco, consenésco et tabescó miser.
[b] Ut illé trepidabat, út festinabát miser, Cas. 432
[a] Ut súbsultabat, póstquam vicit vílicus.

[b] Meus sócius, compar, cómmaritus, vílicus. Cas. 797
[a] Expúrges, iures, óres blande pér precem Cist. 302
[a] Eámque exores, né tibi suscénseat.
[c] Lien énecat, renés dolent, Curc. 236
[b] Pulmónes distrahúntur, cruciatúr iecur,
[b] Radíces cordis péreunt, hirae omnés dolent.
[b] Nam núnc si illo introíeris, amplectí voles, Merc. 570
[a] Confábulari atque aúsculari.
[a] Lubét potare, amáre, scorta dúcere. Most. 36
[c] Nam ego cícilendrum quándo in patinas índidi Pseud. 831
[aa] Aut cépolendrum aut máccidem aut saucáptidem,
[b] Eaépse sese férvefaciunt ílico.
[a] Scrattaé scrupedae stríttivillae sórdidae. Nervolaria fr. VII

Ex his exemplis diligentia elegantiaque versuum satis superque apparet. Non enumeratio inest omnibus his versibus, i. e. primum id fit, deinde illud, tum aliud. Immo omnia verba idem fere edicunt atque vi solum differunt. Iam vero perspicuum est gradationem non semper tam manifesto apparere ut his in exemplis. Cuius vis ubi minuitur, ne eadem quidem elegantia postulanda est. Nam quo gravior est gradatio, eo diligentius versus elaborati sunt. Cf. porro: Asin. 812—815 (p. 42 et 79); Aul. 95 (p. 54 et 73), 116 (p. 54), 373 sq. (p. 44 et 97), 357 sq.; Bacch. 824—829; Capt. 711—714 (p. 93); Cas. 71—77 (p. 101); Cist. 539—542; Men. 476 sq. (p. 46 et 66), 551; Mil. gl. 1302 (p. 71); Most. 1031—1033 (p. 58); Pers. 406—411 (p. 58), 418—422; Poen. 1385 sq.; Pseud. 794 (p. 52); Rud. 124—126 (p. 95), 133—135.

6. De versibus, in quibus hoc vel illud verbum maxime eminet.

Ad extremum nonnulli versus mihi tractandi sunt, qui pertinent maximam partem ad nullam harum paragraphorum. At tamen elucet omnes suo sono enuntiari velle poetam, sive quod sententia tota eminet, sive quod vox quaedam ingentem sonum habet. Exempla afferamus. Pistoclero, qui in Bacch. fabula Chrysalum interrogat, num valeat Mnesilochus amicus, responsum affert:

[a] Istúc volebam ego éx te percontárier. Bacch. 189

Quo in versu maxime eminet „ex te", tum etiam „istuc". Idem Pistoclerus Chrysalo, qui Epheso domum rediit, Bacchidem a milite quodam emptam esse dicit. „Nam iam huc adveniet miles". Atque cum Chrysalus stupefactus interrogaverit: „Et miles quidem?", ille addidit ingenti sono:

[a] Qui de ámittenda Bácchide aurum hic éxigit. Bacch. 223

Postquam in Merc. fabula coquus dixit, qua de causa a Lysimacho conductus sit, Dorippa mulier exclamat:

[a] Palam ístaec fiunt té me odisse. Merc. 764

Agorastocles adulescens advocatos in Poen. fabula convocaverat, ut observarent Lycum lenonem. Paulo autem antea evocatur, „ut ipsus testis sit sibi certissumus". Atque permovet animos eorum, ut prospectent atque observent, his versibus:

[a] Vidístis, leno quom aúrum accepit? ‖ Vídimus. Poen. 723
[a] ‖ Eum vós meum esse sérvom scitis? ‖ Scívimus.

Ballio leno Simoni seni, qui eum monuit factum esse non posse, ut ludificatus sit, respondet:

[a] Epístula atque imágo me certúm facit. Pseud. 1097

Sed plura sunt exempla, in quibus una vox eundem ingentem sonum habet.

[a] Aráneas mi ego íllas servarí volo. Aul. 87
[a] Quid tú te solus é senatu sévocas? Aul. 549
[aa] Scis túte facta vélle me quae tú velis: Aul. 686
[a] Sat ést. Accede huc tú. viden convívium? Bacch. 834
[aa] Nam quód scio omne ex hóc scio. Curc. 257
[a] Nunc hóc, quod ad te nóster me misít senex. Most. 747
[aa] Nunc vós mihi amnes éstis: vos certúmst sequi. Poen. 630
[a] Nego ét negando, síquid refert, rávio. Poen. 778
[a] Hic dúx, hic illist paédagogus: húnc ego Pseud. 447
[c] Cupio éxcruciari.
[a] Non á me scibas pístrinum in mundó tibi, Pseud. 500
[b] Quom ea mússitabas?
[a] Tibi aúscultavi: tú promittebás mihi . . . Rud. 540
[aa] De dóte mecum cónvenire nil potest. Trin. 569

Nunc talia afferam, ubi magnitudo vel multitudo vehementissimis verbis enuntiatur.

[b] Nam númquam quicquam méo animo fuit aégrius Amph. 910
[a] Quam póstquam audivi téd esse iratám mihi.
[b] Verum írae siquae fórte eveniunt húius modi Amph. 941
[b] Intér eos: rursum sí reventum in grátiamst,
[a] Bis tánto amici súnt inter se quám prius.
[a] Quo núnc capessis téd hinc advorsá via Bacch. 113
[a] Cum tánta pompa?
[a] Immo, Crýsale, em, non tántulum Bacch. 209
[a] Umquam íntermittit témpus quin eum nóminet.
[b] Fateor ómnia Capt. 677
[bb] Facta ésse | ita ut tu dícis et falláciis
[bb] Abísse eum abs te méa opera atque astútia.
[a] Etsí pervivo usque ád summam aetatém, tamen Capt. 742
[c] Breve spátiumst perferúndi quae minitás mihi.
[a] Nam omnés mortales deis sunt freti: séd tamen Cas. 348
[b] Vidi égo dis fretos saépe multos décipi.

[a] Contriví diem, Cas. 566
[a] Dum asto ádvocatus quoídam cognató meo.
[a] Verum húnc servavi sémper mecum una ánulum, Curc. 653
[b] Cum hoc ólim perii.
[a] . . . Me cúraturum dícito, quidquid volet. Men. 528
[a] . . . Magná cum cura ego íllum curarí volo. Men. 895
[c] Nam ex úno puteo símilior numquám potis Mil. gl. 551
[a] Aqua aéque sumi quam haéc est atque ista hóspita.[1])

Cf. porro: Bacch. 865 (p. 45); Capt. 756 sq. (p. 36 et 46); Cas. 91 sq. (p. 77 sq.); Curc. 2 (p. 78); Most. 630—632 (de 632 p. 64); Pers. 153, 344—348; Stich. 499—502; Trin. 68, 78 sq.; Boeotia fr. I 5; Caecus vel Praedones fr. IV.

Tum nonnulli versus respiciendi sunt, qui ad gravitatem augendam idem compluribus verbis exprimunt.

[a] Non ít: negat se itúram. abi et renúntia. Bacch. 592
[b] Alium ália amat, non íllum. duc te ab aédibus.
[a] Nihil iám me oportet scíre: oblitus sum ómnia. Bacch. 790
[bb] Scio me ésse servom: néscio etiam id quód scio.
[c] Quin sí tu nolis fíliusque etiám tuos, Cas. 314
[a] Vobís invitis átque amborum ingrátiis
[a] Uná libella líber possum fíeri.
[a] Quid núnc? missurun és ad me uxorém tuam? Cas. 610
[a] Capíllo scisso atque éxcisatis aúribus. Cist. 383
[a] Cum extrítis talis, cúm todillis crúsculis. Cist. 408
[a] Sed húnc quem quaero cómmonstrare sí potes, Curc. 404
[b] Inibis a me sólidam et grandem grátiam.
[aa] Verum íd videndumst, íd viri doctíst opus, Most. 412
[a] Quae díssignata sínt et facta néquiter . . .
[a] Mentíre: nam ad te vénit aurumque áttulit. Poen. 763
[a] Tuórum apud me némost nec quicquám tui. Poen. 766
[a] Atque ámbas forma scítula atque aetátula. Rud. 894 (p. 80)
[bb] Meus árbitratust, língua quod iurét mea. Rud. 1355
[a] Émi atque argentúm dedi, Trin. 125
[b] Minás quadraginta, ádulescenti ipsi ín manum.
[c] Quia, ruri dúm sum ego unos séx dies, Trin. 166
[a] Me apsénte atque insciénte, inconsultú meo,
[a] Aedís venalis hásce inscribit lítteris.
[c] Emi égomet potius aédis: argentúm dedi Trin. 179
[a] Thensaúri causa, ut sálvom amico tráderem.
[a] *Παῦσαι*: vicisti cástigatorém tuom. Trin. 187
[a] Occlústi linguam: níl est quod respóndeam.

---

[1]) Etiamsi v. 552 non sine mendis traditus est, tamen indissolutus est, quemcumque codicem sequimur.

[a]Probo ét fideli et fído et cum magná fide: Trin. 1096 (p. 85)
[a]Et sálve et salvom te ádvenisse gaúdeo.

Porro cf.: Mil. gl. 1119 (p. 44); Poen. 134 (p. 47); Pseud. 423 (p. 45 et 46).

Deinde inspiciamus hos versus:

[b]Lenó te argentum póscit, solida sérvitus, Pers. 425
[aa]Pro líberanda amíca: ut omnes aúdiant.

et

[aa]Adéste sultis: praéda erit praeséntium. Stich. 220
[c]Logós ridiculos véndo: | age licémini. (de 222 p. 46)
[a]Quis céna poscit? écqui poscit prándio?
v. 223 corruptus est
[b]Ehem ádnuistin? némo meliorés dabit.
[a]Vel iúnctiones Graécas sudatórias
[c]Vendó: vel lalias málacas crapulárias,
[b]Cavillátiones, ádsentatiúnculas
[cc]Ac périeratiúnculas parasíticas,
[b]Robíginosam strígilim, ampullam rúbidam,
[cc]Parasítum inanem quó recondas réliquias.
[bb]Haec véniisse iám | opus est quantúm potest,
[b]Ut décumam partem | Hérculi pollúceam.

Quos omnes summa arte et maxima voce exclamatos — nam qui Pers. vv. 425 sq. pronuntiat, ipse dicit „ut omnes audiant“ atque Stich. vv. 220 sqq. auctionem continent — quo melius exaudiantur, gravius atque lentius recitandos esse poeta nullis solutionibus adhibitis significat.

Ad finem perduximus quaestionem de Plauti senariorum iambicorum compositione artificiosiore. In omnibus partibus satis magnum numerum exemplorum me attulisse puto, quae demonstrent Plautum versus magna cura conformasse, aut aemulantem genus tragicum dicendi aut aures audientium ut maxime admoveantur. At tamen non omnia scilicet exempla exscripsi. Imprimis ea plerumque neglexi, quae laxioris formae sunt, quamquam hanc vel illam condicionem praebent earum, quas tractavi. Porro mirum non esse potest, quod versus elegantissime conformati exstant, quorum structurae elegantioris causa facile reperiri non potest. Neque enim quemquam esse puto qui existimet Plautum numquam a legibus discessisse. Nam cum nulla praecepta firma stabiliaque sunt, tum erat Plautus poeta. Atque poetis non solum in fabula constituenda, sed etiam in versibus componendis licentias concedi opus est.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Carolus Wengatz Megalopolitanus natus sum Friedlandiae in oppido Megalopolitano die XXVII. mensis Martii a. 1886 patre Augusto, matre Agnete e gente Scheidling. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in patriae ludo imbutus Gymnasium Friedlandiense frequentavi per novem annos, quod vere a. 1905 testimonio maturitatis instructus reliqui, ut in Universitate Marpurgensi studiis philologis operam navarem. Inde autumno eiusdem anni Berolinam transii, ubi per tria semestria versatus sum. Vere a. 1907 Marpurgum reverti. Anni 1910 mensis Februarii die XXVI. examen rigorosum habui. Usque ad diem promotionis partim in urbe patria, partim Marpurgi versatus sum, ut ad examen pro facultate docendi sustinendum me praepararem.

Docuerunt me viri doctissimi Berolinenses: Diels, Geiger, Haguenin, Helm, R. M. Meyer, Münch, Norden, Paulsen, Pfleiderer, Roethe, E. Schmidt, M. Schmidt, W. Schulze, Tobler †, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorf; Marpurgenses: Altmann †, Birt, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Menzer, Scharff, Schwarz, Suchier, v. Sybel, Thiele, Wechssler.

Per sex menses frequentavi proseminarium philologum Berolinense, per sex menses Marpurgense. Hieme a. 1908 sodalis fui seminarii philologi II Marpurgensis Birtio regente, aestate a. 1909 seminarii philologi I Birtio et Kalbfleischio regentibus. Praeterea me admiserunt exercitationibus Altmann archaeologicis, Klebs historicis.

Omnibus his viris doctissimis gratias habeo semperque habebo maximas nec non Theodoro Birt, qui ad hanc materiem tractandam me invitavit neque opera et consilio me adiuvare destitit.